

LŪDĪ PERSICĪ

ORIGINAL PLAYS FOR THE TEACHING OF LATIN
TO MIDDLE FORMS IN SCHOOLS WITH AN
INTRODUCTION TO THE METHOD OF
USING THE BOOK IN CLASS

BY

R. B. APPLETON

Non satis est pulchra esse poemata ; dulcia suntu.—HORACE

NEW EDITION

OXFORD UNIVERSITY PRESS
LONDON: HUMPHREY MILFORD

1921

NOTE.

I am indebted to Mr. Jones for his kind permission to reprint *Ludus* from the first edition of these plays, and to the syndics of the Cambridge University Press for allowing me to include the *Puer qui a ludo se abstinuit* from "Initium."¹ *Gemini* and *Troia Capta* I owe to Mr. D. M. Simmonds, now scholar of Christ Church, Oxford, but at the time one of my pupils at the Perse School, whom it is a pleasure to thank for such appropriate δίδακτρα.

R. B. A.

¹ *Initium, a first Latin Course on the Direct Method*, by R. B. Appleton and W. H. S. Jones (Cambridge University Press). 2s. 6d.

CONTENTS.

	PAGE
INTRODUCTION " " " " " " -	7
GEMINĪ - - - - -	13
PUER QUI Ā LŪDŌ SĒ ABSTINUIT -	16
SOMNIUM - - - - -	24
FŪRTUM - - - - -	29
LŪDUS - - - - -	34
PERSEUS - - - - -	37
LAQUEŌ SUŌ CAPTUS " " - - -	44
ĪNSULA CYCLŌPUM - - - - -	48
SEQUITUR VĀRAM VIBIA - - - - -	52
SĀGAE - - - - -	58
TRŌIA CAPTA - - - - -	63

INTRODUCTION.

THE object of these plays is to improve the teaching of Latin in the lower and middle forms of schools by making the Latin lessons more interesting to the boys. All masters will admit that if they can get their boys interested they can do good work with them ; and the masters at the Perse School have found that the use of these and similar plays has been a powerful factor in producing a lively interest and delight in the classical lessons. They are intended primarily for those who employ the direct method of teaching Latin, but they may be used equally well by those who have not yet adopted that method—their use may help to convert them. But it is hoped that they will help to fill a gap which must often have worried all classical teachers, namely the lack of simple Latin texts which can be read at a pace quick enough to provide interest to those who have only a moderate acquaintance with the Latin language. It is high time that we gave up spending weary hours in stumbling through a few chapters of Caesar and Livy ; let us postpone the reading of these authors until they can be read quickly enough to be enjoyed, and meanwhile let us give our boys something which, while providing a good preparation for the reading of the classical authors themselves, will, instead of producing a premature weariness of the classics, so enliven the hours of classical teaching that boys will have acquired a love for the language even before they come to read the great authors who wrote in it.

At least a few weeks' teaching is necessary before even the simplest of these little plays can be studied or acted with profit. It is however unnecessary (though perhaps advisable) to teach beforehand all the constructions employed. If the general drift of each

sentence is understood, the plays may be committed to memory and acted : in this way there are stored up in the brain many half-understood constructions which require a fuller explanation, and this, when it is given, will be welcomed by the learner, since he has already felt the need of it. But should the master prefer, he may practise the main syntax constructions by means of oral work before attempting the reading of the plays. In some ways, this is the best course to pursue, for then the boys acquire a familiarity with the necessary constructions before they come to their actual reading, which is consequently much more rapid than it would otherwise have been. The boys are then delighted at the ease with which they can read and so become all the keener. The master must be his own judge as to which course to pursue, but he will not be using this book in the way in which it is intended to be used if he makes his boys plough slowly through the plays instead of running through them (over and over again, if he sees fit) with vivacity and alacrity. If the class cannot read the plays in this manner, then let them postpone them for a few weeks and devote the interval to practice on syntax constructions. To do this, the master must look through the first two or three plays which he intends to read, and "drill" his class in the necessary constructions. For example in the "Laqueo suo captus" the following constructions are employed :—"quin" with the subjunctive, the gerundive, verbs of fearing, "feri potest ut" and "efficere ut," accusative and infinitive, indirect question, "prae se ferre," purpose, petition, "facere quin," preventing, etc. The majority of these constructions, then, should be previously understood by the class, nor need the requisite "drill" be dull work. Let the master walk about the room and go through and describe certain actions, illustrating the constructions ; then let him make the class tell him what he is doing (in the present tense) and afterwards repeat it in a past tense. It is a good plan to make different boys

come out and go through similar things themselves, describing their actions as they perform them. The boys will enjoy this, and there is nothing to equal it for "rubbing home" the constructions. If this is properly done it will take a few weeks, but it will mean that when the plays are started they will be thoroughly enjoyed. By way of preliminary work to the "Laqueo suo captus" for example, a boy will (after having been shown by the master) come out of his place, walk about, and speak somewhat as follows:—

"Ambulo; fenestrae appropinquo; fenestra clausa est, oportet me aperire, mihi aperienda est. Ianuae appropinquo ut eam aperiam. Hoc modo loquor ut bene intellegam linguam Latinam: quam sapientem me praesto (vel, praebeo), qualem sapientiam prae me fero: nunc scrinio appropinquo, haud multum abest quin scrinium attingam: scrinium tollere conor, sed non efficere possum ut tollam; non fieri potest ut tollam, namque non sum Hercules. Orabo magistrum ut auxilium mihi det; veni huc, magister, ut me adiuves, namque vereor ne me laedam. O me miserum! magister nonvult me adiuvere; negat se auxilium mihi daturum esse: pigrum se praebet; pigritia ei obstat quominus me adiuvet (eum impedit). Velim scire quis me adiuvere velit (auxilium mihi daturus sit). Non facere possum quin faticam," etc., etc.

All this has been done at the Perse School, so let no one doubt that a boy will speak so much Latin at a time. In fact, the above is almost a verbal reproduction of the sentences spoken in class by a boy (just under twelve years of age) who started Latin a year and five weeks ago, who has spent the first five weeks of his second year at Latin in just such oral practice upon the main syntax constructions as is here recommended. Five weeks is not too long to spend on such work, for it is of little use if it is not known perfectly (in the case of the boy above mentioned the master only had to correct him once during the whole of his sentences), and

to assure perfection boy after boy must be tried ; the sentences must be repeated in different persons and in different tenses, and the substance of them must be written out for home-work, *i.e.* the boys must be told to write out at home an account of what such and such a boy did and said in class. And, of course, the constructions must only be gradually accumulated—to begin with, only one or two constructions are employed. New ones are added as the earlier ones become more familiar, and all are kept fresh in the mind by continual practice. Our experience is that this takes about five weeks. But, as was said above, this method is not the only possible one, and it is not essential to practise all the constructions employed before starting to read the plays. The master must decide for himself which course to pursue ; perhaps he might try both methods and follow that which he finds most successful. If he follows the method of starting the plays before the main syntax constructions are familiar, he must (if he is teaching on the direct method) employ free paraphrase so that the boys will understand the *sense* of what they are reading rather than the *literal meaning*. For example, he may freely paraphrase such expressions as “ nobis faciendum est,” “ qualem sollertiam prae te fers,” “ videndi causa,” etc., by equivalents such as “ oportet nos facere,” “ quam sagax es,” or “ quam sagacem te praestas ” ; “ ut videamus,” etc., and so make the boys familiar with the various ways in which a Roman could put a sentence even before they understand the literal translation of such expressions.

It is assumed, then, that our young actors are familiar with at least enough Latin to enable them to understand the greater part of the play being read. The method of procedure adopted at the Perse was roughly as follows, and the account may be useful for those masters who are induced to go on after using these plays to write fresh ones of their own. Each part was dictated to the whole class and copied out into special exercise

books, section by section. This is by no means waste of time, as Latin dictation, to which this is practically equivalent, is a very useful exercise for acquiring acquaintance with the language. In the case of very young boys each section was corrected by the master to secure perfect accuracy—with middle forms it is sufficient for the master to walk in amongst the class as he dictates and watch the boys as they write. Then each word was explained by the master, in Latin whenever such a course was possible, otherwise in English. With the third and fourth forms it was practically never necessary for the master to speak English, though he would sometimes ask for the English from the brighter boys for the benefit of the duller. Drawing on the blackboard too is very useful ; for example, one may explain what a well or an anvil is and then allow the first boy who understands the explanation to make a rough sketch on the board for the benefit of the rest of the class. These explanations of words and phrases must all be taken down by the boys in their note-books and learnt as homework ; and this learning must be tested in school on the following day. After the play has been read through a few times by the boys with books in hand they will know it sufficiently well to act it without books if a preparation period has been given by each boy to the study of his own part. The play is then acted either in class or in the school hall.

Finally, a few words as to the nature of the plays themselves. Although they are very short, much conversation can arise from them, *e.g.* the different means of manumission of slaves arising from the “*Laqueo suo captus.*” Hence the boys acquire considerable acquaintance with the details and customs of Roman life. Again, it is essential that some of the plays should be acted, while others are rather difficult to act and are better treated as mere reading material. For example, no one who only reads the “*Sequitur Varam Vibia*” can realise the joy and life that there is in it when acted ;

whereas the "De Sagis" and "Insula Cyclopum" perhaps cannot adequately be acted at all and had better be simply read or accompanied by only such acting as the usual class-room will allow.

No apology is needed for certain very obvious licences (such as the use of "vigil" for a "policeman") when it is remembered that the plays are only school exercises and do not pretend to historical accuracy, though it is hoped that there are no very glaring inaccuracies. Nor does the use of verses from Horace and Catullus need to be defended; it is good for the boys and can seem like sacrilege only to an over fastidious mind.

GEMINĪ.

DRĀMATIS PERSONAE.

MĀRCUS.	} Geminī.	PHILIPPUS.	} aequālēs Mārcī et Sextī.
SEXTUS.		LŪCULLUS.	
LŪDĪ MAGISTER.	FLACCUS.		
MĀTER GEMINŌRUM.			

[*Puerī, quī lūdī magistrum exspectant, colloquuntur.*]

Mārcus. Mē miserum, cūr geminus nātus sum? Ita frātrī Sēxtō similis sum ut nē māter quidem internōscere possit.

Lūcullus. Nōs hanc ob rem dolēre oportet; nescīmus enim utrum tē an frātrem tuum alloquāmur.

Mārcus. Ex quō infāns eram haec similitūdō mihi obest. Semper nōs cōfundunt. Meminī nūtrīcem ōlim mē bis lāvisse, et saepenumērō nōs cōfundēbat ita ut mihi frātris nōmen, frātrī meum, daret.

Philippus. Meminī mē pōma quaedam, quae tibi mē datūrum prōmīsī, frātrī dedisse.

Mārcus. Herī agricola quīdam, quem Sextus lapide petierat, mē verberāvit. Semper efficit Sextus ut ego poenās dem.

Sextus. Tacē, stulte. Cūr tē Mārcum esse nōn dīxistī?

Mārcus. Quō modō tū, sī ego essēs, tē nōn tē sed mē esse arguerēs. Totiēs tū mē esse dīxistī ut agricola ille mihi nōn crēderet. Mendāx es, Sexte.

[*Sextus pūgnum in ōs Mārcī impingit. Rīxa fit.*]

Omnēs. Mactē virtūte, Sexte!

Flaccus. Cavēte! Appropinquat magister.

[*Intrat magister.*]

Magister. Sonitum audīvi. Quid dīcō? Respondē, Sexte.

Sextus. [*Submissā vōce*] Respondē tū, Mārce. Crūstula tibi dabō.

Mārcus. Dīcis tē sonitum audivisse.

Magister. Rēctē. Bene facere potes, sī animum modo attendis. Hoc aliquid mihi in mentem revocat. Iūssī tē cōstructionēs hūius modī in chartā scriptās mihi apportāre. Dā mihi chartam.

Mārcus. Nōn habeō, magister. Mē nōn iūssistī.

Magister. Tē iūssī; dīxī quoque, nisi mihi apportāvissēs, fore ut poenās sūmerem.

Sextus. [*Submissā vōce*] Actum est dē pelle Mārcī.

Magister. Nunc, Sexte, vāpulābis. Sublevāte eum, puerī. [*Magister Mārcum sublātum ferulā verberat.*]

Mārcus. Ō! Ei mihi! Mārcus sum. Vae!

Magister. Nōlī mentīrī. Mendācem ōdī. [*Verbera ingeminat.*] Liberāte eum, et abīte omnēs.

Sextus. Mē fugere oportet.

SCAENA SECUNDA.

Mārcus. Nunc Sexte, pauca tēcum loquī volō. Cūr effēcistī ut vāpulārem, sceleste? Scīvistī fore ut cruciātum mihi afferrēs.

Sextus. Nescīvī.

Mārcus. Mendāx es; ubi sunt crūstula ea quae mihi datūrum affirmāvistī?

Sextus. Nōlī irāscī, Mārce. Ecce crūstula. [*Crūstula Mārcō dat.*] Nōluī cruciātum tibi afferre. Paenitet quam māximē. [*Intrat māter.*]

Māter. Sexte, ubi es? Aliquis crūstula quae Mārcō dare voluī fūrātus est. Prō certō habeō Sextum hoc fēcisse.

Sextus. Quaenam crūstula, māter?

Māter. Crūstula dīcō quae—Ecce, Sextus etiam nunc manū tenet. [*Mārcō appropinquat.*] Hūc ades, nequissime! Semper incommodus es mihi, Sexte.

Mārcus. Ego sum Mārcus. Cūr hōc modō

Māter. Tacē. Nōlī mentīrī. Manifēstum est scelus, nam crūstula quae dīxī habēs. Dā mihi.

[*Crūstula capit.*]

Sextus. Nōlī saevīre in eum, māter. Nōlō ego crūstula habēre.

Māter. Nimis clēmēns es, Mārce. Accipe crūstula, cārissime. [*Crūstula Sextō dat.*]

Mārcus. Pūgnum in ōs impingam.

[*Impetum in Sextum facit.*]

Māter. Tacē, pessime. Prīmum frātris crūstula abstrahis, deinde ipsum frātrem, quī prō tē precātur, laedere temptās. Vae tergō tuō! Venī mēcum. Ad patrem tē dūcam, quī poenās ā tē sūmet.

[*Abeunt omnēs.*]

PUER QUI A LUDŌ SĒ ABSTINUIT.

PERSŌNAE.

SEXTUS	}	FRĀTRĒS.	MEDICUS.
QUĪNTUS			LŪDĪ MAGISTER.
MĀRCUS			ALIĪ DISCIPULĪ.
PATER.			
MĀTER.			

SCAENA PRĪMA. In villā Mārci patris.

[Māter et pater ientāculum edunt.]

Pater. Ubi sunt Quīntus, et Sextus, et Mārcus?

Māter. Omnēs excitāvī. Venient mox; immō vērō iam veniunt. [Quīntus et Sextus intrant.]

Quīntus. Salvē, māter! Salvē, pater!

[Sextus calceōs suōs quaerit.]

Māter. Patrem salvēre iubē, Sexte.

Sextus. Salvē! Calceōs meōs invenire nōn possum.

Māter. Ō pessime, nēglegēns es. Venī hūc. Ō puer abōminande! Collum nōn lāvistī, comās nōn pexistī. Abī iterum ad cubiculum tuum et collum lavā, comāsque pecte. [Exit Sextus.]

[Omnēs ientāculum edunt. Quīntus multum edit, et multum bibit.]

Quīntus. Dā mihi, sīs, māter, aliquantulum porcīnae.

Māter. Nōnne satis iam ēdistī, mī Quīnte? Nōn oportet tē nimis edere. Sī nimis edēs, ex ventre labōrābis.

Quīntus. Nōndum satis ēdī; etiam nunc ēsuriō.

Pater. Satis nōn ēdistī, scelerātissime! Iam tria ōva et multum pānis ēdistī. Nōn licet tibi plūs edere.

[Sextus iterum intrat.]

Sextus. Mārcus ē lectō surgere nōnvolt. In lectō iacet, neque ad lūdum ire volt.

Pater. Sed oportet eum statim surgere. Cūr nōndum surrēxit ?

Sextus. Quia aegrōtat, mī pater. Ex ventre, ex capite labōrat.

Quīntus. Nimis ēdit Mārcus ; nunc ex ventre labōrat. Ego nimis nōn edam.

Māter. Tū, tamen, fēstinā, Sexte. Ientāculum nōn ēdistī, et mox ad lūdum ire tē oportēbit. Accipe aliquantum porcīnae. [*Sextus porcīnam edit.*]

Quīntus. Cūr Sextō porcīnam dās, māter ? mihi nōn dedistī.

Pater. Tacē ! omnium avidissimus es. Tū iam tria ōva ēdistī et nunc porcīnam edere vīs.

Māter. Fēstināte ! iam oportet vōs ad lūdum ire. Valēte ! ego ad Mārcum ibō.

Sextus. } Valē, māter ! Valē, pater. Nōs ad
Quīntus. } lūdum imus.

SCAENA SECUNDA. In cubiculō Mārci.

Māter. Cūr nōndum ē lectō surrēxistī, Mārce ?

Mārcus. Ō māter, aegrōtō ! Ex capite, ex ventre labōrō.

Māter. Linguam mihi mōnstrā. [*Mārcus linguam suam extendit.*] Sed rubra est lingua. Satis bene valēs, nōn aegrōtās. Oportet tē ad lūdum ire.

Mārcus. Nōn satis valeō, mea māter ; vehementer ex ventre labōrō. Ō ventrem meum ! Ad lūdum ire nōn possum.

Māter. Medicum igitur quaeram.

[*Māter exire coepit.*]

Mārcus. Ō māter, redī, mea māter !

Māter. Quid vīs ?

Mārcus. Iēiūnus sum, mea māter, neque ientāculum ēdī. Licetne mihi ientāculum in lectō edere ?

Māter. Si ex ventre labōrās, nōn oportet tē edere. Sed quid vīs ?

Mārcus. Ōva, sīs, et aliquantulum porcīnae.

Māter. Babae ! Porcīnam tibi nōn dabō. Pultem adferam. [*Exit māter.*]

Mārcus [*Submissā vōce*]. Ō mē miserum ! pultem nōn amō. Sed necesse est edere. Ad lūdum hodiē nōn ibō, quia pēnsū meum nōn fēcī. Ego in lectō iaceō ; Sextus et Quīntus in ludō sunt. Illī scribunt et recitant, iterum recitant, iterum scribunt. Ego in lectō iaceō et dormiō.

[*Māter redit quae pultem adfert.*]

Māter. Nunc, Mārce, pultem adferō. Medicum arcessivī, quī mox veniet. Accipe pultem.

[*Mārcus pultem capit, et edere coepit.*]

Mārcus. Hoc mihi nōn placet, māter. Nōne licet mihi ōvum edere ?

Māter. Minimē. Nihil nisi pultem tibi dabō.

[*Iānuam pulsat medicus.*]

Intrā !

Medicus. Salvē, mātrōna ! Quis aegrōtat ?

Māter. Salvē tū quoque ! Hīc mihi filius ex ventre labōrat.

Medicus. Puerī semper ex ventre labōrant. Nimis edunt, deinde ex ventre labōrant. Manum mihi dā, puerule ; pulsum sentiam. Ūnus, duo, trēs, quattuor, quīnque, sex, septem, octō, novem, decem, ūndecim, duodecim, tredecim, quattuordēcim, quīndecim, sēdecim, septemdecim, duodēvigintī, ūndēvigintī, vīgintī. Nunc linguam mihi mōnstrā. [*Mātrī in aurem dīcit.*] Satis bene valet puer ; nōn aegrōtat. Sed ad lūdum ire nōnvolt, itaque aegrum simulat. Amārissimum medicāmentum eī dabō. [*Clārā vōce*] Vehementer aegrōtat, sed bonum medicāmentum eī dabō.

Mārcus. Licetne mihi ōva edere ?

Medicus. Minimē vērō. Nihil nisi pultem et medicāmentum tibi dabō. [*Māter et medicus exeunt.*]

Mārcus. Ego medicāmentum nōn bibam. Per fenestram effugiam.

[*Celeriter ē leciō surgit, vestēs induit, per fenestram exit.*]

SCAENA TERTIA. In lūdō.

[*Discipulī in sellīs sedent: intrat magister.*]

Discipulī. Salvē, magister!

Magister. Salvēte discipulī! Adsuntne omnēs?

Quīntus. Mārcus, quī aegrōtat, abest. Ex ventre labōrat.

Magister. Ille semper aegrōtat,—vel aegrum simulat. Is quī semper abest nihil potest discere. Tū, Quīnte, multō eris sapientior quam frāter tuus. Nunc animum attendite omnēs, et librōs aperīte! [*Sextus per fenestram spectat.*] Quem oportet recitāre?

Decimus. Licetne mihi, magister?

Quīntus (Interpellāns). Tū herī recitāvistī. Hodiē mē oportet recitāre.

Magister. Puerō quī interpellat recitāre nōn licet.

Sextus. Ō magister...

Magister. Nōlī interpellāre, Sexte! Manlius recitāre coepit. [*Sextus iterum per fenestram spectat.*]

Manlius [Ē librō recitāns] Ōlim homo quīdam in hortō suō sedēbat...

Sextus. [Interpellāns] In hortō tuō...

Magister. Tacē, Sexte! Nōn est “in hortō tuō.” Spectā librum! Est “in hortō suō.”

Manlius. [Pergēns] Qui vīnum bibēbat, cibumque edēbat...

Sextus. [Interpellāns] Nunc edit...

Magister. [Sevērā vōce] Nōn nunc edit. Ōlim edēbat. Tū animum nōn attendis, sed per fenestram spectās. Librum spectā, et nōlī iterum interpellāre. Sī iterum interpellābis, tē virgīs caedam. Perge recitāre, Manlī!

Manlius. In mēnsā erant ōva, pānis...

Magister. Dēsiste! Sextus animum nōn attendit.

Sextus. Sed, magister...

Magister. Tacē, improbissime! Vōcem tuam audire nōn volō. Animum attende. Perge, Manlī!

[*Sextus chartam capit et scribit.*]

Manlius. In mēnsā erant ōva, pānis, ūvae...

Magister. Satis! Improbissimus ille Sextus scribit. Dā mihi, Sexte, id quod scripsisti.

[*Sextus chartam magistrō dat.*]

Magister. [*Recitāns*] “Magister mala sūs est.” Ō puerum abōminandum, improbissimum, scelerātissimum...

Sextus. Sed hoc nōn scripsī, magister.

Magister. Omnium mendācissimus es! Meīs ipse oculīs tē scribentem vidī.

Sextus. Ita, magister. Scribēbam; sed nōn “mala” scripsī, sed “māla.” Et verbum “ēst” breviter scripsī prō “edit.” Nihil mihi dicere licēbat, et per fenestram porcum vidī māla tua edentem.

[*Omnēs ad fenestrās ruunt.*]

Magister. Sedēte omnēs!

[*Omnēs iterum sedent, et Sextus dicere pergit.*]

Sextus. Temptāvī tibi dicere, sed tū semper, “Nōlī interpellāre,” exclāmābās. Scripsī igitur, quia loquī mihi nōn licuit.

Magister. Num rē vērā in hortō porcus pōma mea edit?

Sextus. Immō vērō omnia iam ēdit.

Magister. Cūr nōn anteā mihi dixisti, stulte? Ō mē miserum! Plūs docēre hodiē nōn possum. Licet vōbīs abīre. Hodiē discere nōn necesse est. Ego porcum comprehendere temptābō. [*Exit*]

[*Puerī exīre coepērunt.*]

Sextus. Ō beātum mē! Hodiē nōn discam, sed lūdā. Mārcus in lectō iacet; ego currō, ego saltō!

Quīntus. Mē quoque beātum! Mārcus pultem edet, ego crūstula edam.

Sextus. Ō miserrimum Mārcum! Ille medicāmentum bibit; nōs porcum vidimus māla magistrī edentem!

Quīntus. Medicus linguam Mārci spectat.

Manlius. Nōs triumphum spectābimus.

Decimus. Quem triumphum dīcis?

Manlius. Nōne audīvistī? Post merīdiem Britannōs in triumphō dūcet Iūlius Caesar. Britannōs vīcit, et hodiē erit triumphus.

Omnēs. Euge! Euge! Ad triumphum ībimus.

[*Exeunt omnēs.*]

SCAENA QUĀRTA. In Viā Sacrā.

[*Spectātōrēs pompam spectant.*]

Sextus. Ut multī sunt mīlitēs! Iō triumphē!

Quīntus. Spectā gladiōs! Spectā pīla!

[*Tubicinēs "taratantara" dīcunt.*]

Decimus. Tubicinēs audiō. Iō triumphē!

Spectātōrēs. Iō triumphē! Iō triumphē!

Quīntus. Optima est pompa. Ecce! vidēsne animalia ista?

Manlius. Elephantī sunt. Elephantōs antea nōn vīdī. Ō beātum mē! Iō triumphē!

Sextus. Et signa mīlitum spectā! Vidēsne tū, Quīnte? Nōn vidēs. Spectātōrēs spectās; nōlī illōs spectāre; pompam spectā! Cūr spectātōrēs spectās?

Quīntus. Quia Mārcum videō.

Sextus. Mārcum nōn vidēs. Ille in lectō iacet.

Quīntus. Videō eum. Ecce! nōne tū vidēs?

Sextus. Ubi est?

Quīntus. Spectā! In summō mūrō sedet.

Manlius. A lūdō sē abstinuit. Nōn aegrōtābat Magister eum virgīs caedet.

Sextus. Eum videō. [*Clāmāns*] Mārce, venī hūc!

Mārcus. Minimē vērō. Ad mē venīte! Optimus est locus. Bene vidēre possum. [*Omnēs ad Mārcum eunt*].

Sextus. Quōmodo hūc vēnistī?

Quīntus. Nōn aegrōtāvistī. Aegrum simulāvistī, et tē ā lūdō abstinuistī.

Mārcus. Ita vērō. Ad lūdum ire nōluī, quia pēnsū meum nōn fēceram. Sed pessimus ille medicus malum medicāmentum mihi dedit, quod bibere nōlēbam. Itaque per fenestram effūgī.

Spectātōrēs. Iō triumphe! Iō triumphe!

Quīntus. Magister tē virgīs caedet.

Mārcus. Nihil cūrō. Pompam spectāte.

Spectātōrēs. Iō triumphe! Iō triumphe!

Decimus. Vidētisne Britannōs?

Manlius. Abōminandī sunt omnēs!

Mārcus. Ecce! ōva pūtida habeō. In Britannōs iaciam.

Quīntus.

Sextus. } Dā mihi! Dā mihi!

Manlius. } [*Omnēs in Britannōs ōva iaciunt.*]

Manlius. Bene! Caput Britannī cūiusdam percussī.

Mārcus. Macte virtūte! Ōvō meō oculum dextrum Britannicī ducis percussī. Habet! Habet!

Spectātōrēs. Iō triumphe! Iō triumphe!

Sextus. Cavē, Mārce! Lūdī magistrum videō.

Mārcus. Ō mē miserum! Ego effugiam.

[*Dē mūrō dēscendit, sed magister cum videt.*]

Magister. Tē videō, Mārce! Venī hūc! [*Mārcum comprehendit magister.*] Abōminande puerule! Ā lūdō tē abstinuisti. Nunc autem ad lūdum redībimus, et virgīs tē caedam.

Mārcus. Ō parce, magister, parce mihi!

Spectātōrēs. Iō triumphe! Iō triumphe!

[*Magister Mārcum abdūcit.*]

Mārcus. Ō magister, vidēsne porcū istum? Ut māgnus est!

Magister. Porcū dīcis? Ubi est? [*Grunnit porcū.*]

Mārcus. Ecce! Spectā!

Magister. Videō eum. Curre, Mārce, celeriter. Porcū comprehendere temptā. Sī porcū comprehendere poteris, tibi parcam.

[*Mārcus celeriter currit, et porcū comprehendit quem ad magistrum dūcit.*]

Mārcus. Ecce! magister. Porcum comprehendi.
Nunc oportet tē mihi parcere, ut prōmīstī.

[*Grunnit porcus.*]
Magister. Tibi parcam, optime. Porcum mihi dā!
[*Magister porcum abdūcit; Mārcus ad pompam
redit.*]

Spectātōrēs. Iō triumphe! Iō triumphe!

FĪNIS.

SOMNIUM.

PERSŌNAE.

MĀRCUS.

PATER MĀRCĪ.

MĀTER MĀRCĪ.

EFFIGIĒS.

MAGISTER LŪDĪ.

SEXTUS, discipulus quīdam.

ANCILLA.

ACTUS PRIMUS. *Domus Mārci.*

Mārcus. [*Apud mēnsam sedēns*] Nōn possum facere pēnsū meum. [*Stilum dēicit.*] Auxiliū mihi dā, optime pater.

Pater. [*Quī ācta diurna legit*] Nōlī mē irritāre, pessime : nōn vacō.

Mārcus. [*Submissā vōce*] Quam irācundus est ! [*Clārā vōce*] Nōlō incommodō tibi esse, sed nōn longum est hoc mihi expōnere : vereor nē magister ferulā mē percutiat nisi mē adiūveris. [*Lacrimāre sē simulat.*]

Pater. Nōlī tē infantem praestāre, sed dīc mihi quid faciendum sit.

Mārcus. Oportet mē nārrāre dē Gallīs quī Capitōlium ascendērunt, dē ānscribis quoque quī vigilābant

Pater. Ō stultissimum puerum ! simplex est rēs, neque necesse est ut tē adiuvem : tacē igitur, namque ācta diurna mihi sunt legenda.

Māter. [*Quae iuxtā focum vestēs suit*] Tempus est dormiendī, Mārce : num perfēcistī pēnsū tuum ?

Mārcus. Nōndum perfēcī, māter, quia pater nōn volt mē adiuvāre.

Pater. Ignāvissimus es : quid vis dīcam ?

Mārcus. Oblītus sum nōminis Rōmānī militis quī Gallōs dē summō Capitōliō dēturbābat.

Pater. Ō sceleste, abī ad lectulū tuum : epistolae mihi sunt scrībendae.

Mārcus. [*Susurrāns*] Putō eum nescīre.

Pater. Quid dīxistī, scelerātissime? Abī ad cubiculum sine morā.

Mārcus. Sed nōndum cēnam ēdī: iēiūnus sum.

Māter. Sine eum, pater, pēnsu suu perficere. Fēstinā, tamen, Mārce, namque iamdūdum oportet tē dormire.

Mārcus. Nōn meminī nōminis: quaeram autem ē librō: mē miserum! ubi est liber meus? Putō mē eum āmīsisse: rogābō ancillam num eum viderit.

[*Tintinnābulō ancillam accit.*]

Ancilla. [*Intrat*] Nōne tintinnābulum tinniit?

Mārcus. Vidistīne ūsquam librum meum?

Ancilla. Vidī sordidum quendam librum quī humī in aulā iacet: nesciō utrum tuus sit necne.

Mārcus. Adfer mihi: putō eum esse meum: [*Ancilla exit ut librum quaerat*]. Utinam perficerem.

[*Ancilla cum librō redit.*]

Ancilla. Hic est liber quem vidī.

[*Mārcō librum dat.*]

Mārcus. [*Librum accipit.*] Stultissimam ancillam! Gallicus est hic liber.

Ancilla. Semper negligēs es. [*Exit.*]

Māter. Tempus dormiendī est, Mārce: dā mihi osculum et ad cubiculum abī.

Mārcus. Sine mē manēre paulō diūtius, māter.

Pater. [*Sevērā vōce*] Pārē mātī tuae, statimque abī.

Mārcus. [*Mātī suae appropinquāns*] Bene dormiās: [*Sēcum loquitur dum ad cubiculum abit.*] Quid mē fiet cum ad lūdum īverō opere infectō? [*Exit.*]

ACTUS SECUNDUS. Cubiculum Mārcī.

Mārcus. [*Mediā nocte ē somnō excitātus*] Quis adest? Paterne an māter es?

Effigiēs. Quam dulcem linguam! Loquere iterum, per tē deōs orō.

Mārcus. Nesciō quis sis : dīc mihi unde vēneris et quid velīs.

Effigiēs. Ab inferīs vēnī, optime puerule : vagor per tōtum mundum ut aliquem inveniam quī mēcum colloquī possit : sed omnēs barbarī esse videntur, quippe quī nōn intelligant linguam Latīnam. Gaudeō tamen quod tē invēnī. Dīc mihi quālem ad cīvitātem pervēnerim.

Mārcus. In Angliā es, nōsque Anglī sumus.

Effigiēs. Pessima est regiō : semper pluit, vel cālīgō tenebricōsa omnia tegit : vix sōlem vīdī ex quō hūc vēnī : utinam apud inferōs essem ! cīvēsque vestri stultissimī sunt quī nōn possint Latīnē loquī : sed unde accidit ut tū possīs ?

Mārcus. Latīnam linguam in lūdō discō. Ego quoque gaudeō quod hūc advēnistī, namque poteris beneficium mihi praebere.

Effigiēs. Quam dulce est iterum meam audire linguam : dīc igitur quid velīs : faciam quodcumque est : sed quid est tibi nōmen ?

Mārcus. Mārcus est mihi nōmen : quid est tibi ?

Effigiēs. Manlius sum, quī Capitōlinus quoque appellor.

Mārcus. O beātum mē ! nūperrimē cōnābar nōmen tuum in memoriam revocāre.

Effigiēs. Num iam periit glōria mea ? quam ingrātī sunt hominēs !

Mārcus. Nōlī irāscī : nōn rē vērā oblītus sum : ē memoriā modo exciderat : num rē vērā is es quī Gallōs dē Capitōliō dēturbāvit ?

Effigiēs. Doctissimus es puer, quī nōn modo Latīnē loquī possīs sed etiam gestōrum Rōmānōrum bene memineris ! Rēctē dīxistī, ipse meā manū dēturbāvī.

Mārcus. Velim dē hāc fābulā audire, namque māximē mihi placet. Nōn multum, putō, āfuērunt Gallī quīn Rōmam caperent.

Effigiēs. Ānserēs tamen eis obstitērunt quōminus id facerent.

Mārcus. Dīc mihi fābulam ab initiō, optime.

[*Chartā sumptā scribere coepit dum effigiēs nārrat.*]

Effigiēs. Nōn longum est dīcere. Gallī enim quamquam ad summum Capitōlium advēnērunt ānserēs nōn fefellērunt.

Mārcus. Sed quō modō Capitōlium ascendere poterant ?

Effigiēs. Rōmānus quīdam antea dēscenderat ut aquam quaereret, vestigiīsque eius animadversis. . . .

Mārcus. Quid sīgnificat "animadversis" ?

Effigiēs. Vestigiīs vīsīs, vel spectātīs. Cum Gallī vestīgia vīdissent, nocte saxum ascendērunt : mox ad summum Capitōlium perventum est.

Mārcus. Quid sibi volt "perventum est" ?

Effigiēs. Perventum est ā Gallīs, scīlicet : Gallī pervēnērunt ad summam arcem, tantōque silentiō ad summum ēvāsērunt ut nōn cūstōdēs solum fallerent, sed nē canēs quidem excitārent. Ānserēs autem nōn fefellērunt, quae rēs salūtī fuit. Namque ego, clangōre eōrum ālārumque crepitū excitus, arma arripuī cēterōsque ad arma accīvī, et Gallum, quī iam in summō cōstiterat, umbōne ictum dēturbāvī. Sed cūr scribis ?

Mārcus. Fābulam scribō nē iterum oblivīscar : modo perge nārrāre.

Effigiēs. Aliī quoque tēlis mīssilibusque saxīs perturbābant hostēs. Hōc modō Rōma servāta est.

Mārcus. Grātiās tibi agō prō tam praeclārā fābulā : nunc tamen fessus sum ; itaque dormīre cupiō, sed cūrā iterum veniās ut mihi dē Rōmānis nārrēs.

Effigiēs. Nihil mē impedit quīn redeam : nīl enim mihi dulcius est quam tēcum colloquī : utinam cēteri Anglī Latīnē possent loquī.

[*Mārcus obdormit ; effigiēs abit.*]

ACTUS TERTIUS. Lūdus (posterō diē).

Magister. Pēnsa collige Sexte : tū tamen, Mārce tuum mihi recitā : vereor nē pessimē scripseris.

Mārcus. [*Recitat*] Rōmānus quīdam ē Capitōliō ut aquam quaereret dēscendit. Gallī autem, quī hōc tempore Rōmam obsidēbant, vestigiīs ēius animadversīs, noctū saxum ascendērunt. Mox ad summum Capitōlium perventum est, tantōque silentiō ad summam arcem ēvāsērunt ut nōn cūstōdēs solum fallerent, sed nē canēs quidem excitārent. Ānserēs autem nōn fefellērunt, quae rēs salūtī fuit. Namque Manlius clangōre eōrum ālārumque crepitū excitus arma arripuit, cēterōsque ad arma accīvit et Gallum, quī iam in summō cōstiterat, umbōne ictum dēturbāvit. Aliī quoque tēlis mīssilibusque saxīs perturbābant hostēs. Hōc modō Rōma servāta est.

Magister. Optimum post hominum memoriā puerum! Sine mendō scripsisti: bene scribere potes si modo vīs: sed saepenumerō animum in praelēctiōne vel nōn attendis, vel dormīs. Hodiē tamen tam bene fēcisti ut omnibus veniam lūdendī velim dare. Licet vōbīs abire.

Mārcus. [*Cum vicinō suō susurrat dum abit*] Hoc nōn poteram scribere nisi dormiissem!

FŪRTUM.

PERSŌNAE.

FŪR.

FŪR alter.

Vigil.

Alii Vigilēs.

TULLUS.

PRAETOR RŌMĀNUS.

CAUSIDICUS, quī est patrōnus Tullī.

CAUSIDICUS alter, quī est patrōnus fūris.

ĀCTUS PRĪMUS. Rōmae.

Fūr. [*Alteri fūri nocte occurrēns*] Salvē!*Fūr alter.* Salvē tū quoque!*Fūr primus.* Velim pauca tēcum colloquī, namque optimum invēnī cōnsilium quō ambo dīvitēs fiāmus: [*Vigilem appropinquāre videt.*] Nunc autem tacendum est: vigil nōs spectat, atque vereor nē audiat dē quibus loquāmur.*Fūr alter.* Venī igitur domum meam: est mihi aliquantulum porcīnae.*Fūr primus.* Benīgnus es: abeāmus unā.*Vigil.* [*Appropinquat fūribus*] Nōlīte morārī in viīs: quid hīc agitis?*Fūr alter.* Abīmus domum, sceleste: nōnne licet Rōmānis domum per viās ambulāre?*Vigil.* Statim abīte: namque sī iterum vōs in hāc parte offenderō in vincula vōs iaciam.[*Abeunt fūrēs: vigil perambulāt.*]

ĀCTUS SECUNDUS. Casa fūris.

[*Fūrēs apud mēnsam accumbunt porcīnamque edunt.*]*Fūr primus.* Hoc est cōnsilium meum—scīsne quam dīves sit Tullus? Hunc per fenestram saepenumērō

vidi scriniō cuiādam inhiantem: nōn dubium est quīn multum pecūniae insit. Hoc scrinium iuxtā parietem est....

Fūr alter. Cōnsilium tuum intellegō; quid enim nōbīs obstat quōminus parietem perfodiāmus pecūniamque auferāmus?

Fūr primus. Bene dīxistī! intempestā nocte domum Tullī eāmus: ēgregia spolia capiēmus.

Fūr alter. Aderō: vigilem modo caveāmus.

[*Abeunt unā.*]

ACTUS TERTIUS. Domus Tullī.

[*Fūr primus domō cautē appropinquat: sonum audit.*]

Fūr primus. [*Susurrāns*] Quis adest?

Fūr alter. [*Ē diversā parte intrat*] Nōlī timēre, amīcus sum.

Fūr primus. Dīs grātiās agō: putāvī tē vigilem esse: sed incipe parietem perfodere.

Fūr alter. [*Submissā vōce*] Tacē, nē quis tē audiat: perfodiō. [*Parietem perfodit.*]

Fūr primus. Potesne scrinium tangere?

Fūr alter. Possum: iamque per forāmen extrahō.

Fūr primus. Sine mē effringere. Ecce, iam patet.

Fūr alter. [*Spē deiectus*] Mē miserum: nihil inest nisi charta!

Fūr primus. Epistulae sunt; sed sonum exaudiō: quis appropinquat? [*Vigilēs ex imprōvisō adveniunt.*]

Unus ē vigilibus. Ecce! latrōnēs domum circumstant: comprehendite.

Fūr primus. [*Alterum fūrem alloquēns*] Nūlla datur effugiendī facultās. Tacē modo, et tē ē periculō eripiam. [*Ad vigilem versus*] Quam opportūnē vēnistis, o vigilēs!

Idem vigil. Opportūnē vēnimus vōs in vincula coniectum.

Fūr primus. [*Ad amīcum suum reversus*] Nōlī resistere: bonum cōnsilium habeō. [*Ā vigilibus comprehenditur.*]

Vigil. Abdūcite ad carcerem.

[*Exeunt.*]

ACTUS QUARTUS. Tribunal Praetoris.

[*Adsunt praetor, Tullus eiusque patronus, fur eiusque patronus, iudices, vigil ut testis. Praetor togā praetextā amictus in sellā cūrūlī sedet; iudices in subselliis sedent.*]

Praetor. Reus adest quī dē fūrtō accūsatur: quis est petitor qui eum accūsat?

Tullus. Ego petitor sum: namque mediā nocte domūs meae parietem perfōdit scrīniumque extrāxit.

Praetor. [*Reum interrogāns*] Adestne tibi patronus quī tē dēfendat?

Reus. Patronus meus adest et orātiōnem prō mē habēbit.

Praetor. [*Ad Tullum versus*] Utrum causam tuam ipse agēs an habēs tū quoque patronum?

Causidicus. Ego petitoris sum patronus.

Praetor. Ambo adsunt patroni: Vōs, iudices, animum orātiōnibus attendite. Licet petitoris patronō causam agere.

Patronus Tullī. Nōn necesse est, iudices, ut multa dicam: manifestum est fūrtum: reus in ipsō scelere, manifestā rē, dēprehēsus est: vigilēs quoque adsunt quī eum vidēbant parietem perfodientem: neque ipse negat sē scelus admisisse; sed si voltis, iudices, licet vōbīs tēstem audire.

Praetor. Quis est testis?

Vigil. [*Prōcēdit*] Ego testis sum: ex animī meī sententiā iūrābō vērūmque dicam. Per viās noctū ambulābam, cum repentē hunc invēnī, vidīque eum parietem perfodientem.

Praetor. Quae dicit auditis, iudices: nunc autem rei audiāmus patronum.

Patronus furis. Negābat, iudices, amicus meus—quem honōris causā nōminō —sē multa dictūrum esse: neque rē vērā multa dixit. Dē eis tamen quae tam breviter dixit nunc mihi respondendum est: dixit enim reum ipsum fatērī: rēctē dixit; cliēs meus iam

cōfessus est sē parietem perfōdisse: sē scelus admisisse vehementer negat. Cūr enim perfōdit? Ut pecūniam auferret? Minimē, nihil enim pecūniae inerat. Num putātis, iūdicēs, quemquam tam stultum esse ut velit scrīnium vacuum summō cum periculō auferre? Nēmo hoc crēdere potest. Sed reus rei pūblicaē causā scrīnium abstulit, iamque in medium posuit quae abstulerat. Epistulae sunt quās nescioquō modō hic cōgnōvit ab hoste mīssās esse. Ūnam modo sententiam ex ūnā epistulā vōbīs recitābō:—

“Sī igitur nūntiāveris nōbīs quot milītēs in urbe sint hanc pecūniam accipiēs. Nostrī mox urbī appropinquābunt; tū modo portam urbis pande”

Sed putō mē satis recitāvisse. [*Cōnsīdit.*]

Praetor. Reus, ut vidētur, petītōrem accūsāt: crīmen māiestātis est, dē quō vōs, iūdicēs, sententiam dare nōn potestis: quaestiōnem iubēbō cōstituī. Nunc autem dē fūrtō sententiās date: [*Ad vigilem quemdam versus*] Venī hūc. [*Tabellās eī dat*] Iūdicibus tabellās distribue.

[*Tabellae iūdicibus dantur, quī reum absolvunt.*]

Reus absolvitur: Tullus autem retinendus est ut dē crīmine māiestātis quaerāmus.

[*Vigilēs Tullum comprehendunt et abdūcunt: omnēs exire coepērunt.*]

Fūr primus. [*Patrōnō suō grātulāns*] Grātiās tibi agō quam māximās

Fūr alter. Ego quoque; quam praeclāram ōrātiōnem habuistī!

Causidicus. Nihil est cūr mē remūnerēminī: valēte. [*Exit.*]

Ambo fūrēs (Ūnā vōce). Valē!

Fūr alter. [*Cum primō fūre loquitur dum abeunt*] Nēminem umquam tē callidiōrem vīdī, sed nesciō quō modō cōgnōveris epistulās inesse.

Fūr primus. [*Submīssā vōce*] Meā manū imposuī, namque ab hostium duce eās accēperam herī, atque

mēcum portābam, ut accidit, cum vigilēs appropin-
quāvērunt.

Fūr alter. Deōs immortālēs ! sed quid accidet nōbīs
cum fraus inventa erit ?

Fūr primus. Nōlī timēre ; prōditōrēs semper negant
sē scelus admīsisse : repertae sunt epistolae in scrīniō
Tullī, nēmō igitur crēdet eī etiam sī mē dīcat imposuisse.

Fūr alter. Callidissimum hominem ! Ad porcīnam
redeāmus. [*Exeunt.*

Aulaeum tollitur.

LŪDUS.

PERSŌNAE.

ORBILIUS, magister lūdī.

MĀRCUS

GĀIUS

QUĪNTUS

SEXTUS

TITUS

} discipulī.

Orbilius. Salvēte, discipulī. Hodiē carmen Horātī poētae recitābimus. Num quis volūmen nōn habet?

Discipulī. Habēmus, sed in capsā sunt omnia.

Orbilius. Tū, Mārce, cape volūmina et distribue. Cūrā ut suum cuique dēs. Nōlī hiāre, Sexte: num fessus es? Nōnne satis diū hāc nocte dormivisti? Omnibus imperō ut attentō sītis animō. Nunc est discendum, nōn dormiendum. Putō vōs iam oblītōs esse cūius poētae carmen sīmus recitatūrī. Quis scripsit carmen, Gāi?

Gāius. Ignōrō.

Orbilius. Ō puerum māximē immemorem! Tū, Mārce, nōlī rīdēre, nōlī istum in modum Gāium spectāre. Nihil est cūr spectēs. Memento semper esse attentō animō. Prōverbium meum nōn ignōrās; discipulus ignāvus poenās dat. Cum, Tite, Gāius ignōret, tū mihi dīc quis carmen scripserit.

Titus. Horātius scripsit, magister.

Orbilius. Rēctē respondēs, mī Tite. Ō sī sic omnēs! Multō essēmus fēliciōrēs. Spectāte carmen in quō dē fonte Bandusiae nārrat Horātius. Num habētis?

Quīntus. Invenire nōn possum.

Mārcus. [*Susurrāns*] Tertiō in librō.

Orbilus. Ō pessimum puerum ! Nōlī loquī iniūssus. Sī iterum iūssa mea neglēxeris, ferulā meā ūtar, et tū dolōre māximō afficiēris. Intellegisne, an surdō loquor ?

Māscus. Intellegō. [*Discipulīs*] Ut irāscitur !

Orbilus. Quid dīcis, pessime ?

Mārcus. Dīcō mē intellegere quid dīcās, magister optime.

Orbilus. Tantō melius. Tē vicinō loquī arbitrābar : sī locūtus essēs, poenās dedissēs. Quīnte, carmen recitā ab initiō ūsque ad finem. Librī tertiī carmen est tertium decimum.

Quīntus. [*Recitāns*]

Ō fōns Bandusiae, splendidior vitrō
Dulcī dīgne merō, nōn sine flōribus
Crās dōnāberis haedō,
Cui frōns turgida cornibus

primis et venerem et proelia dēstinat ;
Frūstrā : nam gelidōs inficiet tibi
Rubrō sanguine rīvōs
Lascivī subolēs gregis.

Tē flagrantis atrōx hōra Caniculae
Nescit tangere, tū frīgus amābile
Fessīs vōmere taurīs
Praebēs et pecorī vagō.

Fīēs nōbīlium tū quoque fontium,
Mē dīcente cavīs impositam ilicem
Saxīs, unde loquācēs
Lymphae dēsiliunt tuae.

Orbilus. Nōn male recitās, mī Quīnte. Sed carmen est facillimum. Sī difficilius esset, fortāsse errāvissēs. Nunc nōn errāvistī. Singulīs dē verbīs interrogābō. “Dulcī dīgne merō.” Quid sīgnificat merum ? Dextram ērigite sī potestis respondēre.

Gāius. [*Dextrā sublātā*] Merum sīgnificat id quod vīnum.

Orbilius. Rēctē dīcis. Merum est vīnum pūrum nūllā aquā admixtā. Hoc propriē sīgnificat. Sed apud poētās merum et vīnum idem sīgnificant. Nunc pergāmus. “Crās dōnāberis haedō.” Aliter eadem dīc, Mārce.

Mārcus. Crās haedus tibi dōnābitur.

Orbilius. Rēctē respondēs. Nam nōs Rōmānī dīcimus vel “dōnō haedum alicuī” vel “dōnō aliquem haedō.” Versūs quārtum et quīntum velim aliquis exprimat aliīs atque simpliciōribus verbīs ūsus. Num quis id facere potest?

Sextus. Possum. Frōns haedī primīs turget cornibus, quod sīgnum est aetātis iam provectae. Itaque poēta dīcit frontem cōniugem dēstināre et proelia, quibus scīlicet cōniunx ceterīs ab haedīs reportētur.

Orbilius. Rēctē expōnis rem. Pergit Horātius in hunc modum. Prōlēs lascīvī gregis—is lascīvus est quī semper lūdit—fontem sanguine rubrum faciet. Frīgidus vel mediā aestāte fōns manet, et taurōs labōre fessōs vagumque pecus recreat.

Mārcus. [*Vīcīnō loquitur*] Ille magister utinam haedus Horātī esset, et nōs apud fontem—

Orbilius. Tacē, tacē! Ō puerum insolentem, tē audiō! Cape caput tū, et tū pedēs retinē. Ego virgīs caedam. Māxima dēbētur magistrō reverentia, ut ego iam docēbō.

Mārcus. Ō magister, parce, parce! Cōnfiteor mē peccāvisse! Ō tergum meum, quantum dolet! Ō, Ō.

Orbilius. Iterumne loquēris, pessime, dum ego tē docēre cōnor? Nunquamne mihi oboediēs? Fessus sum caedendō; iam dēsinō. Utinam magis valērem, ut satis caederēris!

Mārcus. Grātiās agō, magister, dīs nōn tibi.

Orbilius. Tam fessus sum ut plūra docēre nōn possim. Exite omnēs lūsum.

Puerī. Gaudeāmus! Lūsum eāmus!

PERSEUS

PERSŌNAE.

PERSEUS.	CĒPHEUS, rēx Aethiopum.
ĀCRISIUS, avus Perseī.	ANDROMEDA, filia Cēpheī.
DANAĒ, māter Perseī.	MĪLITĒS.
POLYDECTĒS, rēx Serīphī.	SERVĪ.
APOLLŌ.	CĪVĒS.
GRAEAE.	ARTIFEX.
MEDŪSA.	PISCĀTOR.

GORGONES CĒTERAE.

SCAENA PRĪMA. *Spēlunca, ubi est ōrāculum Iovis.*

Ācrisius. [*Māgnō terrōre affectus, spēluncam adit*]
 Ō Iūppiter, māxime deōrum, ōrāculum ā tē petō ut
 sciam quid sit faciendum. Namque Perseum nepōtem
 meum timeō, nē rēgem sē faciat. Dīc mihi igitur quid
 sit faciendum.

Vōx. [*Ex interiōre spēluncae parte audīta*] Cavē
 Perseum ; māgnopere timendus est.

Ācrisius. [*Clārā vōce*] Grātiās tibi agō prō tam
 clārō respōnsō. [*Submīssā vōce.*] Occīdam eum sine
 morā. Iamque oportet mē domum redīre. [*Exit.*

[*Perventum est ad rēgiam Ācrisī, ubi multī mīlitēs
 servīque multī Ācrisium ab ōrāculō redeuntem excipiunt.*]

SCAENA SECUNDA. *Rēgia Ācrisī.*

Ācrisius. Ubi sunt Danaē atque Perseus ?

Mīlitēs. Nescīmus, domine.

Ācrisius. Quaerite igitur, atque dūcite eōs ad mē.

[*Exeunt mīlitēs quī mox redeunt
 cum Perseō Danaēque.*]

Danaē. Vēnimus ad tē, Ācrisī, ut imperāta tua faciāmus ; sed nescīmus quid velīs. Nōlī nōbīs nocēre. [*Perseus vāgīre coepit.*]

Ācrisius. Comprehendite illōs, mīlitēs. Prōditōrēs sunt ; quid oportet prōditōrēs patī ?

Mīlitēs. Iaciendī sunt in mare.

Artifex quīdam. Vīsne māgnam arcam faciam quā inclūdantur ?

Ācrisius. Hoc cōnsilium mihi placet : cūrā eam quam celerrimē faciendam.

Artifex. Ecce ! Iam parāta est. Ego quidem eam ad lītus meā manū feram : tū modo mīlitēs iubē Perseum mātremque eius dēdūcere.

Ācrisius. Dēdūcite eōs, mīlitēs : vōsque reliquī spectāte per fenestrās quid sit ēventūrum.

[*Mīlitēs Danaēn Perseumque dēdūcunt ;
servī ē fenestrīs spectant.*]

Servī. Iam vidēmus mīlitēs eōs ad lītus dēdūcere ; iamque ad lītus perventum est. In arcā sedent atque altum petunt. Tempestās vidētur exorīrī. Venī, domine, ad fenestram ut ipse videās. [*Ācrisius fenestrae appropinquat.*] Nōnne vidēs quō modō Danaē timeat ?

Ācrisius. [*Per fenestram spectāns*] Videō Danaēn timēre, sed Perseus minimē timet ; putō eum dormire.

SCAENA TERTIA. Lītus Insulae Serīphī.

Danaē. Nōlī timēre, cārissime : iam pervēnimus ad terram. Putō Iovem, quī tranquillum fēcerit mare, nōs ē periculō liberāvisse. Dīs grātiās agāmus : “ Iūppiter omnipotēns, grātiās tibi agimus ; tibi quoque, Neptūne, quī omnia maria regis, prō salūte datā.” [*Perseum alloquēns.*] Dēsiste vāgīre : nihil est cūr timeās. Ego quidem itinere fessa sum ; dormiāmus igitur in arēnā.

[*Perseus coepit turrēs arēnā exstruere.*]

Piscātor. [*Intrat*] Deōs immortālēs ! Fēmina nescio- quae fōrmōsissima in arēnā dormit. Quid sit faciendum nesciō ; relinquere eam nōn possum, nam timeō nē

flūctibus inundētur, sed pudet mē eam excitāre. [*Perseum vidēns.*] Tū tamen, puerule, aliquantulum arēnae in caput ēius effunde. [*Perseus super caput mātris hamam ēvertit.*] Iam coepit expergīcī.

Danaē. [*Experrēcta*] Pluit, ut vidētur; immō vērō grandinat. [*Perseum vidēns.*] Ō puer pessime, quid agis?

Piscātor. Salvē, rēgina, quaecunque es, sive mulier sive nymp̄ha.

Danaē. Salvē, domine; miserrima sum fēmina, ē naufragiō servāta. Hic est filiū meū, adhūc infāns. [*Perseum alloquēns.*] Iubē advenam salvēre.

Perseus. Salvē: Dā mihi piscem; valdē ēsuriō

Piscātor. [*Pisces ē sportā prōmēns*] Accipe. [*Ad Danaēn versus.*] Sī placet tibi, domum rēgis vōs dūcam. Benīgnus est quī cōmiter vōs excipiet.

Danaē. Bene dīxistī; eāmus unā. [*Exeunt omnēs.*]

SCAENA QUĀRTA. Rēgia Polydectae.

Piscātor. Salvē, domine. Ad tē dēdūcō fēminam puerumque, quōs in lītore invēnī ē naufragiō servātōs.

Polydectēs. Gaudeō quod ē tantō periculō effūgistis: nunc autem in finibus meis tūtā sēdem accipite.

Danaē. Grātiās tibi agō, optime prīnceps, prō tantō beneficiō: hīc manēbō cum filiō meō. Spērō eum fortem futūrum esse iuvenem.

[*Multi annī praetereunt: Perseus iam iuvenis est.*]

Polydectēs. Fōrmōsissima fēmina est Danaē; velim igitur eam in mātrimōnium dūcere. Hoc tamen cōnsilium Perseō displicet, itaque mihi obstat quōminus mātrem suam in mātrimōnium dūcam. Ipse igitur dīmīttendus est. [*Ad militēs versus.*] Perseum arcessite. [*Militēs exeunt; mox cum Perseō redeunt. Polydectēs Perseum adloquitur.*] Quōūsque hīc manēbis? Nōne taedet tē hūius tantae ignāviae? Oportet iuvenēs fortēs

sē praestāre ; nam iamdūdum adulescēns es. Cape arma igitur et virtūtem praestā.

Perseus. Equidem vērō iamdūdum abire cupiō ; sed māter mihi obstat quōminus abeam. Semper enim timet nē in aliquod perīculum cadam. Sed sī placet tibi, domine, statim abībō.

Polydectēs. Placet mihi : abī sine morā, et caput Medūsae mihi refer. [*Perseus exit.*]

SCAENA QUĪNTA. *Terra incōgnita.*

Perseus. Nesciō ubi sit Medūsa : sed advenam videō quem ōrābō ut viam mihi dēmōnstret. [*Advenae appropinquāns.*] Scīsne ubi Medūsa habitat ?

Apollō. Haec est via quae ad Graeās, sorōrēs eius, fert. Primum oportet tē ad Graeās ire ut magicam galeam accipiās. Ego falcem tibi dabō speculumque quae māgnō tibi erunt auxiliō.

Perseus. Prō falce grātiās tibi agō : sed speculō cūr opus est ?

Apollō. Per speculum spectā dum Gorgonibus appropinquās, nisi vīs in saxum vertī.

Perseus. Hoc faciam. Nunc hāc viā prōgrediar. [*Prōgreditur.*]

Graeae. [*Perseum videntēs*] Advena quīdam appropinquat.

Perseus. Salvēte, mātrōnae. Galeam magicam petō ; num voltis mihi dare ? [*Gladium stringit.*]

Graeae. Gladium dēpone, atque abī : licet tibi habēre galeam. [*Perseus cum galeā magicā exit.*]

ALIA PARS TERRAE.

Medūsa. Putō aliquem appropinquāre.

Gorgones cēterae. Nōn poterit nōbīs nocēre : statim in saxum vertētur.

Medūsa. Sed oculōs ad nōs nōn intendit : vereor nē

laedat mē. Ecce! in speculum inspicit: nōn dubium est quīn fortis sit.

Perseus. [*Medūsam aggressus*] Horribilī speciē mōnstrum es: occīdam tē falce meā.

[*Caput Medūsae abscīdit.*]

Gorgones. Succurrite, sorōrēs: Medūsa mortua est.

Perseus. Succurrite, sī voltis: namque invenīre mē nōn poteritis. [*Galeam magicam induit.*]

Gorgones. Ē cōnspectū ēvāsit: vix dubitāre possumus quīn deus sit.

SCAENA SEXTA. Ōrāculum dei Ammōnis.

Cēpheus. Ō Iūppiter omnipotēns, cōnsilium ā tē petō; quid enim faciendum sit nesciō. Saevissimum mōnstrum, quod Neptūnus mīsit, cottīdie ē marī venit finēsque nostrōs vastat, hominēsque dēvorat. Dīc mihi igitur quō modō ē tantō perīculō cīvēs extrāhere possim.

Vōx. [*Ē spēluncā audīta*] Fīlia tua mōnstrō trādenda est: quod sī fēceris statim abībit.

Cēpheus. [*Summō dolōre affectus*] Mē miserum! Fīliam trādere nōn possum. Sed domum redībō; fortāsse mōnstrum nōn redībit.

SCAENA SEPTIMA. Rēgia Cēpheī.

Cēpheus. Iterumne vēnit saevissimum mōnstrum?

Mīlitēs. Nōn vīdimus, domine. Spērāmus id numquam reditūrum esse.

Cīvēs. [*Intrant*] Salvē, optime prīnceps. Advēnimus rem terribilem nūntiātum; namque mōnstrum illud herī ē marī appropinquāvit lītorī duōsque piscatōrēs dēvorāvit.

Andromeda. Oportet tē, pater, ōrāculō pārere. Nōn timeō prō patriā morī.

Cēpheus. Vix possum mīlitibus imperāre ut tē dēdūcant; sed faciendum est. Ō mē miserum! miserrimamque puellam! [*Mīlitēs Andromedam abducunt.*]

SCAENA OCTAVA. *Litus.*

Militēs. [*Andromedā vinctā*] Iam vincta est vinculis : mōnstrum exspectēmus.

Perseus. [*Intrat*] Quid sibi volt hic hominum concursus ? [*Andromedam videt.*] Deōs immortālēs ! fōrmōsissima puella, vinculis alligāta, lacrimat. Dīc mihi, per tē deōs ōrō, quam ob rem doleās.

Mīles quīdam. Moritūra est, domine. Namque Cēpheus, pater ēius, mōnstrō eam trādīdit ut cēterōs ē periculō ēripiat. [*Fremitus audītur.*] Iamque putō mōnstrum appropinquāre : ego abībō.

Militēs cēteri. Nōne audīs fremitum ? mōnstrum appropinquat ; fugiāmus igitur nē in periculum cadāmus. [*Omnēs effugiunt.*]

Perseus. Ignāvissimōs hominēs ! Ego, quī Medūsam interfēcī, nūllum mōnstrum timeō. [*Mōnstrum videt.*] Medūsā tamen hoc terribilius est. Sed interficiendum est. [*Gladiō suō mōnstrum interficit. Andromedam ē vinculis solvere coepit.*] Nōlī timēre ; mōnstrum mortuum est.

Andromeda. Grātiās tibi agō prō tantō beneficiō : sed vereor nē mōnstrum tē laeserit.

Perseus. Tāle mōnstrum nōn potuit laedere Perseum, quī Medūsam occīdit.

Andromeda. Eāmus ad patris mei rēgiam ut sciat mē tūtā esse. Ego viam tibi dēmōnstrābō. [*Exeunt.*]

RĒGIA CĒPHEĪ.

Perseus. Ad tē dēdūcō filiam tuam quam dē mōnstrō servāvī.

Andromeda. Fortissimum sē praestitit, pater.

Cēpheus. Grātiās tibi agō quam māximās : anteā māximē dolēbam quia putāvī mē nōn iterum vīsūrum esse filiam meam.

Perseus. Gaudeō quod civēs ē tantō periculō servāvī.

Cēpheus. Nōn dubium est quīn mercēdem meritis

sīs : per tē stetit quōminus Andromeda mortua esset.
Quoꝛ dōnum velīs accipere ?

Perseus. Sī placeat tibi cupiam Andromedam in
mātrimōnium dūcere.

Cēpheus. Ego nōn obstābō tibi quīn in mātrimōnium
eam dūcās.

Perseus. Benīgnus es, domine. [*Andromedam allo-*
quēns.] Placetne tibi hoc cōsilium ?

Andromeda. Sī in patriā meā manēbis, tibi nūbam.

Finis.

“ LAQUEŌ SUŌ CAPTUS.”

PERSŌNAE.

MANGŌ prīmus.

SERVUS FŌRMŌSUS.

MANGŌ alter.

PORTITOR.

SERVĪ.

ALIĪ PORTITŌRĒS.

Praetor

Patrōnī

Iūdicēs.

*ACTUS PRĪMUS. Nāvis mangōnum Brundisiō
appropinquat.*

Mangō prīmus. Haud multum abest quīn portum
attingāmus.

Mangō alter. Ipsam crepīdinem iam vidēre possum
māgnamque portitōrum multitūdinem quī nōs expectant.

Mangō prīmus. Mē miserum! quantum pecūniae
prō portōriō solvendum erit.

Mangō alter. Equidem certē vereor nē tōtum quae-
stum āmittāmus: nōne fierī potest ut portitōrēs
fallāmus?

Mangō prīmus. Optimum cōsiliū: sed rēs summi
perīculi est; cavendum igitur est nōbīs: sed fortāsse
efficere possumus ut crēdant hunc tam fōrmōsum servum
ingenuum esse:

Mangō alter. Sciō quid faciendum sit: bullam et
praetextam togam eī impōnēmus.

Mangō prīmus. Quālem sollertiam prae tē fers!
haec statim faciāmus.

[*Insīgnia ingenuitātis servō fōrmōsō impōnunt.*]

Mangō alter. Quam pulchram speciem prae sē fert!
crēderēs eum rē vērā esse ingenuum!

Mangō prīmus. Bene fēcistī; nunc autem tacē: iam
in portū sumus et portitōrēs adsunt.

Mangō alter. [*Nautās alloquēns*] Ancorās iacite, vēnālēsque per forōs ēdūcite.

Portitor p̄rimus. Unde vēnistis ?

Portitor secundus. Mercātōrēsne estis ?

Mangō p̄rimus. Vēnālīcīi Dēlō vēnimus ut servōs hōs vēndāmus.

Portitor secundus. [*Fōrmōsum servum digitō suō mōnstrāns.*] Hic autem nōn vidētur vēnālīcius esse.

Mangō alter. Nōn est, sed Rōmānus quīdam, qui nōs ōrāvīt ut nōbiscum nāvīgāre sibi licēret.

Portitor p̄rimus. Solvite igitur quīnquāgēsīmā prō portōriō.

Mangō p̄rimus. Ecce ! accipe : nunc sine nōs ad nūndinās illōs perdūcere.

Servus fōrmōsus. Valēte nunc, amīcī ; grātiās vōbīs agō quod mē tam benignē manūmīstis.

Mangō p̄rimus. In malam crucem ! Ō scelestē ! quam manūmīssiōnem dīcis ?

Servus fōrmōsus. Cavēte nē cīvī Rōmānō maledicātis.

Mangō alter. Deōs immortālēs ! quantam audāciam ! Cīvem Rōmānum sē dīcit esse.

Servus fōrmōsus. Vēra dīcō, namque vōs quī bullam praetextamque togam mihi imposueritis, ultrō mē in lībertātem vindicāvistis.

Mangō p̄rimus. [*Submīssā vōce*] Vix facere possum quīn audāciam virī admīrer. [*Clārā vōce*] Quae, malum, est haec tanta audācia ? Mox reperiēmus utrum līber sīs necne. [*Alterum mangōnem allocūtus.*] Comprehende eum ut ad praetōrem dūcāmus, quī diem dīcat iūdiciumque nōbīs det.

ĀCTUS SECUNDUS. *Vindiciae apud praetōrem.*

[*Adsunt praetor, servus quī lībertātem sibi vindicat, duo mangōnēs eōrumque patrōnus, iūdicēs, portitor ut tēstis, servīque ut tēstēs dīversae partis.*]

Praetor. Omnēs, quōs oportet, videntur adesse. Petītōrem audiam ut iūs dīcam.

Mangō. Licetne patrōnō meō ōrātiōnem prō mē facere, namque ipse meam causam nōn bene agere possum?

Praetor. Nihil obstat quīn patrōnus prō tē causam agat: statim modo incipiat.

Mangōnis patrōnus. Id vōbīs hodiē, iūdicēs, quaerendum est, utrum ingenuus an servus sit quī Dēlō in vēnālium numerō Brundisium ā clientibus meis adductus est. Sed forsitan quaerat aliquis, quō modō scīre possumus num reus idem sit quem vēnāliciī intrōdūxērunt? Tēstem statim praebēbō.

Portitor quīdam. Ex animī meī sententiā iūrābō vērūmque dīcam. Nōn dubium est quīn hic servus sit quem Brundisī vīdī inter aliōs servōs Dēlō invectōs.

Mangōnis patrōnus. Servus ipse nōn negat sē antea servum fuisse; sed libertātem iam sibi vindicat quia ā dominīs suis manūmissus sit. Clientēs tamen meī hoc vehementer negant: nūllum servum manūmisērunt, sed servus ipse suā manū sīgna ingenuitātis sibi imposuit. Nunc eum vidētis, iūdicēs, bullam praetextamque togam gerentem. Quōmodo tamen is ingenuus esse potest quī iam cōfessus sit sē antea servum fuisse? Nēmō dubitāre potest quīn aliquid fraudis insit: namque nē libertō quidem, nēdum servō, licet sīgna ingenuitātis gerere. Et quō modō manūmittendī sunt servī? num bullam praetextamque togam impōnendō? Minimē! sed vindictā tangendī sunt. Nēmō tamen hunc vindictā tetigit; ūsque adhūc igitur servus est.

Praetor. [*Ad reum versus*] Quid tū habēs quod respondeās?

Servus fōrmōsus. Necesse est, iūdicēs, ut ipse meam causam agam, quia nēmō mihi prō patrōnō exstat. Quae autem ā mangōnum patrōnō dicta sunt vehementer negō. Dīxit enim mē ipsum meā manū sīgna ingenuitātis mihi imposuisse; id quod nūllō modō facere potuī, namque neque bullam neque togam praetextam habēbam. Sed mangōnēs ipsī suā manū haec mihi imposuerunt. Tēstēsque adhibēbō mē vērūm dīcere.

Servus quīdam. Ex animī meī sententiā iūrābō vērūmque dīcam. Vidī hōs mangōnēs ipsōs suā manū sīgna ingenuitātis huic impōnere.

Servus alius. Ex animī meī sententiā iūrābō vērūmque dīcam : ego quoque haec vidī ; putōque mangōnēs ita ēgisse ut portitōrēs fallerent, namque portōrium solvere nōlēbant.

Praetor. Nunc mihi iūs dīcendum est. Patrōnus mangōnum negābat hunc liberum esse quia nōn rīte manūmissus esset. Lēx certē dīcit “ sī neque cēnsū neque vindictā nec tēstāmentō liber factus est, nōn est liber.” Servus igitur adhūc esse mihi vidētur. [*Mangōnēs plaudunt.*] Sed servus mangōnum nōn potest esse, namque quī simulāvērunt eum ingenuum esse negāvērunt servum esse. Equidem vērō cēseō eum pūblicandum esse ut servus pūblicus sit, mangōnēs quoque multā pecūniā multandōs esse putō, quia portitōrēs fallere cōnābantur. Sed oportet vōs, iūdicēs, sententiās dare.

[*Iūdicēs, tabellīs distribūtīs, sententiās dant : servum pūblicant mangōnēsque multant.*]

ĪNSULA CYCLŌPUM.

PERSŌNAE.

ULIXĒS.

COMITĒS ĒIUS.

POLYPHĒMUS.

ALIĪ CYCLŌPES.

Ulixēs. Nesciō quālem ad terram pervēnerimus : vōs tamen reliquī hīc manēte prope lītus dum ego paucis cum comitibus ad interiōrem partem terrae prōcēdō ut quālis sit regiō quālēsque incolae sint reperiam.

Comitēs. Nōs vērō manēbimus, tū tamen cavē nē in perīculum veniās.

Ulixēs. Cavēbō mihi atque comitibus : sed quis volt mē sequī ?

Comes prīmus. Ego volō.

Comes secundus. Ego quoque veniam.

Comes tertius. Nunquam tibi dēerō.

Comes quārtus. Tē persequar quōcumque volēs dūcere.

Comes quīntus. Neque ego quidem dubitābō quīn cōsequar.

Ulixēs. Venīte igitur mēcum, amīcī : vīnumque vōbīscum adferte nē in itinere sitiāmus. [*Ulixēs quīnque cum comitibus ē lītore ad interiōrem īnsulae partem proficīscitur.*]

Ulixēs. Spēluncam videō, prope quam multa ovium haedōrumque pecora circumstant.

Comes prīmus. Sed spectā gigantem quī pecus cūstōdit : vereor nē nōbīs noceat.

Comes secundus. Nōn videt nōs : ad pecus oculōs intendit.

Comes tertius. Ūnum modo oculum in mediā fronte habet.

Comes secundus. Nīl rēfert : nōs vidēre nōn potest.

Comes quārtus. Spēluncam igitur intrēmus : namque quid insit cōgnōscere volō. [*Spēluncam intrant.*]

Ulixēs. Gigas certē abest : sed quot rēs adsunt ! sportae cāseī plēnae, ovēs, hircī

Comes quīntus. Optima spolia invēnimus : omnia ad nāvem reportēmus.

Ulixēs. Nōlīte ita facere : omnibus imperō nē quicquam tangātis, namque putō Cyclōpem iam redīre.

Comes prīmus. Videō eum māgnūm virgārum fascem in tergō portantem : mē miserum, quam timeō nē omnēs moriāmur !

Comes secundus. Nōlī timēre, ignāvissime.

Comes tertius. In interiōre spēluncae parte lateāmus omnēs. [*Omnes ad īmam spēluncam sē recipiunt.*]

[*Cyclōps, cui nōmen est Polyphēmus, cum pecoribus intrat.*]

Polyphēmus. Nunc oportet mē caprās mulgēre.

Comes prīmus. [*Susurrāns*] Utinam abesset !

Polyphēmus. [*Vōcem audiēns*] Vōcem hominis audiō : num latrōnēs adsunt ? quis inest ?

Ulixēs. [*Multō terrōre affectus*] Nautae sumus, optime, nōn latrōnēs : Trōiā nāvibus nostrīs vēnimus, sed tempestāte ortā ad hanc īnsulam nāvem appulimus. Nōlī igitur nōbīs nocēre, sed praebe cibum.

Polyphēmus. Sī nautae estis, dīc mihi ubi sit nāvis vestra.

Ulixēs. [*Submīssā vōce*] Nōn dīcam, nē nāvem nōbīs abripiat. [*Clārā vōce.*] Nōn iam habēmus nāvem, namque Neptūnus eam tempestāte obruit : ego tamen cum hīs tam paucīs comitibus ē naufragiō servātus hūc pervēnī :

[*Polyphēmus nautīs appropinquat.*]

Comes prīmus. Cavēte, amīcī, cavēte ! nōbīs appropinquat. [*Ā Polyphēmō ē terrā tollitur.*] Ō mē miserum ! succurrite mihi amīcī !

Polyphēmus. Succurrite amīcī ! Valdē ēsuriō, neque satis est mihi ūnus homunciō. [*Duōs ē comitibus devorat.*] Iam satis ēdī : bibere volō.

Ulixēs. Accipe igitur aliquantulum vīnī.

[*Polyphēmus bibit.*]

Polyphēmus. Hoc vīnum mihi placet; numquam antea tam dulce vīnum bibī: multo dulcius est lacte: da mihi alterum cyathum.

Ulixēs. Ecce! cyathus iterum replētur: sed minimum vās est cyathus; nōne ex amphorā bibere velīs?

Polyphēmus. Benignus es advena: quid est tibi nōmen? nam pro hoc tantō beneficiō praeclārum tibi dōnum dabō: omnium postrēmum tē edam.

Ulixēs. [*Cautē respondet*] Nemo est nōmen mihi: sed accipe amphoram.

[*Polyphēmus amphoram accipit, tōtamque haurit.*]

Polyphēmus. Optimum est vīnum: iamque fatīscor; dormire volō: mē miserum! vix ambulāre possum; titubō. [*Vīnō superātus humi iacet.*]

Ulixēs. Nunc, amīcī, fēstīnāte: profundē dormit, nam vīnō est ēbrius.

Comes tertius. Sed quid faciendum est? Effugere nōn possumus quia spēluncae intrōitus māgnō saxō obstructus est, quod nūllō modō dīvellere poterimus.

Ulixēs. Audīte tamen cōsiliū meum: inter haec ligna māgnū pālum videō: hunc praeacūtum faciāmus.

Comitēs. [*Ūnā vōce*] Auxiliū dabimus. [*Pālum ferrō praeacuunt*] satisne praeacūtus est?

Ulixēs. Satis est: nunc extrēmam partem in ignem impōnite.

Comitēs. Impōnimus, iamque ārdet.

Ulixēs. Nunc igitur hōc instrūmentō oculum Polyphēmī trānsfodiāmus dum dormit.

Comitēs. Tollite pālum: oculum trānsfodere volumus.

Polyphēmus. [*Dolōre excitus*] Mē miserum! quantum dolōrem sentiō: quis mē interficit? oculus trānsfoditur: nōn vidēre possum: caecus sum. Ō . . . Ō . . .

Alii Cyclōpes. [*Clāmōrem audientēs ad spēluncam veniunt*] Quis tē laedit, O Polyphēme? Cūr tantum sustulistī clāmōrem?

Polyphēmus. Quia Nēmo mē laedit.

Cyclōpes. Sed sī nēmo tē laedit nihil est cūr clāmēs.

Polyphēmus. Dixī Nēminem mē laedere, amīcī.

Cyclōpes. Sī nēmo tē laedit nōn dubium est quīn deus quīdam tē pūniātur. Abībimus igitur, namque dīs resistere nōlumus.

Polyphēmus. Nōlīte abīre, amīcī.

[*Cyclōpes iam abeuntēs ē spēluncā sequitur.*]

Ulixēs. Nunc effugiendī facultātem habēmus.

[*Omnēs ē spēluncā ruunt.*]

Comitēs. Ē quantō periculō servātī sumus: nōn multum aberat quīn omnēs morerēmur.

“ SEQUITUR VĀRAM VIBIA.”

PERSŌNAE.

UMBRICIUS.

CORDUS, poēta et amīcus Umbricī.

DĀVUS, servus surdus.

Clientēs.

ANDROMACHUS, artifex.

Poēta primus.

Poēta secundus.

Poēta tertius.

Iānitor.

SCAENA PRĪMA.

Umbricius. Cordus dīxit sē hodiē ventūrum esse ; poētārum praeclārissimus—sōlus igitur admittendus est : servum iubēbō cēterōs exclūdere. Eia, Dāve, age, hūc venī ! stulte, num audīs ? Omnium surdissimus est. Venī hūc, pessime : vocō tē [*Dāvus appropinquat.*] Cūrā ut Cordum poētā sōlum admittās, cēterōs exclūdās : intelligisne ?

Dāvus. Intelligō, domine : nēminem nisi poētā admittam. [*Abire coepit.*]

Umbricius. Eia Dāve, redī : hūc, hūc stulte ! Artificem quoque quaere quī operculum cistae meae affīgat. Hoc quam celerrimē cūrā faciendum sī nōnvīs vāpulāre.

Dāvus. Hoc statim faciendum cūrābō, domine : [*Iānitōrī appropinquāns.*] Semper dormit : [*Iānitōrem ē somnō excitat.*] Cūrā nēminem nisi poētā admittās : ego artificem quaerō.

Turba clientium. [*Extrā iānuam*] Vēnimus salūtandī causā : aperī iānuam !

Iānitor. [*Dum iānuam aperit*] Num poētae estis? Procul Ō profānī! nōn estis poētae. [*Eōs depellere cōnātur, sed nōn potest eīs obstāre quān irruant.*] Accipite sportulās atque abīte: ipse nōn vacat: [*Clientēs sportulās ē mēnsā capiunt: deinde, Umbriciō salūtātō, abeunt.*]

Umbricius. Quot incommoda in urbe sunt: cottīdie clientēs veniunt salūtātum; poētae ubīque recitant [*Poēta intrat.*] Ō lupus in fābulā!

Poēta primus. Salvē, optime poētārum patrōne: adsum carmen tibi recitātum.

Umbricius. Quis tē admīsit, pessime? Nōn vacō. [*Poēta recitāre coepit.*] Dēsiste, dēsiste: nōn vacō tibi.

Poēta. Sed servus dīxit tē iamdūdum mē expectāre.

Umbricius. Ō stultissimum servum. [*Poēta secundus intrat.*]

Poēta secundus. Salvē, optime poētārum patrōne: adsum carmen tibi recitātum.

Umbricius. Mē miserum, poēta poētā excipit. [*Poēta primus iterum recitat.*]

Poēta secundus. Quid rei est? Importūne recitat? [*Poētā primū ferit, quī artificem tīgnū portantem offendit atque ad terram dēicitur.*]

Poēta primus. [*Surgēns*]

Mē truncus inlāpsus cerebrō
sustulerat, nisi Faunus ictum
dextrā levāsset.

Poēta secundus. [*Iterum eum ferit.*] Sciō quam molestus sit: sed accipe sōlātium. [*Ad Umbriciū versus ipse recitāre coepit.*]

Dāvus. Vēnit poēta, domine. [*Cordus cum tertiō poētā intrat.*]

Cordus.

Poēta tertius. } [*Ūnā vōce loquentēs*] Salvē, optime poētārum patrōne. [*Cordus poētā tertium percutit.*]

Cordus. Salvē, optime poētārum patrōne, adsum carmen tibi recitātum.

Umbricius. Ubīque poētae! perstringuntur aurēs:

quid faciam? quō fugiam? [*Turbam poētārum recitantium circumspicit atque ē scaenā effugit.*]

[*Omnes poētae, dum carmina sua recitant, perambulant gradatimque exeunt.*]

FĪNIS SCAENAE PRĪMAE.

SCAENA SECUNDA.

Dāvus. Haec est cista: istud operculum affigendum.

Andromachus. Opus erit clāvīs, malleō, tignō, fortāsse restī: clāvōs nōn habeō; malleus est domī; nunc autem quaeram, cum invēnerō redībō. [*Exit.*]

Dāvus. Artificēs Rōmānōs! [*Exit.*]

Umbricius. [*Intrat*] Iam quiēscere possum: locus poētis vacuus mirāculō est. [*Poētārum vōcēs audit.*] Mē miserum, appropinquāre videntur: quid faciam, quō mē cēlem? [*Cistam videt.*] Optimum cōsiliū est; in cistā latēbō. [*In cistā latet: mox Cordus intrat carmen recitāns: Dāvus cum artifice redit poētāque recitantem dēpellit.*]

Dāvus. Nunc operī incumbe; nōlī tempus terere: satis habēs instrūmentōrum: incipe modo. [*Artificem ferulā percutit.*] Namque sī iterum officium tuum neglēxeris poenās dabis: saevissimus est dominus quī nōn parcat tibi, incipe igitur sī nōnvīs verberārī.

Andromachus. Ecce, incipiō: nōlī irāscī. Sed audī, nōnne audivisti vōcem? [*Umbricius ē cistā clāmat.*]

Dāvus. [*Quippe quī surdus sit Umbriciū nōn audit*] Cūr cessās, pessime? perge, perge: semper loqueris, nihil agis. [*Artificem percutit.*]

Andromachus. Parce, parce: affigere volō: sed putō aliquem inesse.

Dāvus. Iterum loqueris: tacē, tacē: tempus est agendī, nōn loquendī.

Vōx Umbricī. Nōlī affigere operculum: sine mē exīre. [*Andromachus iterum vōcem audiēns, iterum cessat.*]

Dāvus. Iterumne cessās, ō sceleste? Semper cessant artificēs Rōmānī: accipe calcem: nunc perge operārī: vereor nē prius adsit dominus quam perficere potueris.

Andromachus. Vereor nē iam adsit dominus: sed affigendum est: modo parce virgīs.

Vōx Umbricī. Mē miserum! quot incommoda ē poētīs surdīsque servīs accipiō.

[*Andromachus, terrōre affectus, iterum dēsistit.*]

Dāvus. [*Artificem ferulā percutiēns*] Semper cessās, pessime!

Andromachus. Parce, parce! nōne audīvistī vōcem?

Vōx Umbricī. Clāmā, optime, māiōre vōce: nōn potest tē audire.

Andromachus. [*Clāmāns*] Putō dominum tuum cistae inesse: nōne audīvistī vōcem?

Dāvus. Ō pessime, poenās sūmam. [*Verbera inter sē dant: intrat Cordus.*]

Cordus. Quid sibi volt hic clāmor?

Vōx Umbricī. Sine mē exire, optime Corde.

Cordus. [*Gaudiō affectus*] Umbricius inest: [*Cistae appropinquat.*] Nunc nōn potes effugere [*Ad aliōs poētās, quī iam intrāvērunt, versus*] Audiendī sumus, amīcī. [*Dāvum alloquitur.*] Bene fēcistī quī eum in cistā inclūseris. [*Carmen suum iuxtā cistam recitare coepit; aliī quoque poētae recitant: nōn ita multō post Umbricius cistam effringit et surgit.*]

Poēta secundus. Quantum mūtātus ab illō. . . .

Dāvus. [*Terrōre affectus*] Ō mē miserum! Quid mē fiet? āctum est dē pelle meā.

Andromachus. [*Ad Dāvum versus*] Nunc mihi crēdis; iamdūdum dīcō ipsum inesse. [*Poētae recitant.*]

Umbricius. [*Irā commōtus*] Abīte, abīte! [*Poētās ē scaenā dēpellit.*]

FĪNIS SCAENAE SECUNDAE.

[*Aulaeum tollitur.*]

CARMEN POËTAE PRIMĪ.

Ō fōns Bandusiae, splendidior vitrō,
 dulcī dīgne merō, nōn sine flōribus,
 crās dōnāberis haedō,
 cui frōns turgida cornibus

primis et venerem et proelia dēstinat ;
 frūstrā : nam gelidōs inficiet tibi
 rubrō sanguine rīvōs
 lascivī subolēs gregis.

tē flagrantis atrōx hōra Canicula
 nescit tangere ; tū frīgus amābile
 fessīs vōmere taurīs
 praebēs, et pecorī vagō.

Fīēs nōbīlium tū quoque fontium,
 mē dīcente cavīs impositam ilicem
 saxīs, unde loquācēs
 lymphae dēsiliunt tuae.

CARMEN POËTAE SECUNDĪ.

Arma virumque canō, Trōiae quī primus ab ōris
 Ītaliā fātō profugus Lāvīnaque vēnit
 litora : multum ille et terris iactātus et altō
 vī superum, saevae memorem Iūnōnis ob iram,
 multa quoque et bellō passus, dum conderet urbem
 inferretque deōs Latīō : genus unde Latīnum
 Albānique patrēs atque altae moenia Rōmae.

CARMEN POËTAE TERTIÛ.

Crîmine quô meruî, iuvenis placidissime dîvom,
 quôve errôre miser, dônîs ut sôlus egêrem,
 Somne, tuîs ? tacet omne pecus volucrêsque feraeque
 et simulant fessôs curvâta cacûmina somnôs,
 nec trucibus fluviîs îdem sonus ; occidit horror
 aequoris, et terrîs maria acclînâta quiêscunt.

CARMEN CORDÛ.

Lûgête, Ô Venerês Cupîdinêsque,
 passer mortuus est meae puellae,
 passer, dêliciae meae puellae,
 quem plûs illa oculîs suîs amâbat :
 nam mellîtus erat suamque nôrat
 ipsam tam bene quam puella mâtrem.
 nec sêse â gremiô illius movêbat,
 sed circumsiliêns modo hûc modo illûc
 ad sôlam dominam ûsque pîpilâbat.
 quî nunc it per iter tenebricôsum
 illûc, unde negant redîre quemquam.
 at vôbîs male sit, malae tenebrae
 Orcî, quae omnia bella dêvorâtis :
 tam bellum mihi passerem abstulistis.
 vae factum male ! vae miselle passer ;
 tuâ nunc operâ meae puellae
 flendô turgidulî rubent ocellî.

SĀGAE.

PERSŌNAE.

SŌCRATĒS.

ARISTOMENUS.

CAUPŌNA.

SĀGAE DUAE.

Iānitor.

SCAENA PRĪMA. *Dēversōrium.**Sōcratēs.*

[*Cantat*] Dissolve frīgus, ligna super focō
 largē repōnēns, atque benignius
 dēprōme quadrimum Sabīnā,
 Ō Thaliarche, merum diōtā.

Sed iam satis bibimus ; dormīre cupiō, namque itinere
 fessus sum : ancillam igitur arcesse, optime, quae nōs
 ad cubiculum perdūcat.

Aristomenus. Eia tū, venī hūc ! [*Caupōna appro-*
pinquat.] Licetne nōbīs ?

Caupōna. [*Interpellāns*] Nōn licet vōbīs : nimium
 vīnī iam bibistis : plūs dare recūsō.

Aristomenus. Impudentem audāciam ! sine mē
 tōtam dīcere sententiam : nōn vīnum quaerō sed cubi-
 culum. Licetne nōbīs dormīre hīc ? viatōrēs sumus,
 quī iam multa mīlia passuum ambulāvīmus ; itaque
 itinere fessi sumus : ōstende cubiculum.

Caupōna. Ōstendē pecūniam, namque nesciō utrum
 habeātis necne : vereor nē mendīcī vel latrōnēs sītis.
 Prīmum igitur solvenda est pecūnia, deinde ad cubiculum
 vōs perdūcam.

Aristomenus. Quālem audāciam ! Quid faciendum
 est, mī Sōcrates ? Num aliam petāmus tabernam ?

Sōcratēs. Vereor ut possim : nōn placet mihi hoc
 dēversōrium ; ūnam tamen maneāmus noctem, per tē
 deōs ōrō : vix facere possum quīn iam dormiam.

Aristomenus. Sed manēbimus sī vīs : nōlī hiāre, sed dā pecūniam caupōnae.

Sōcratēs. Ego autem nīl habeō : tē dare oportet.

Aristomenus. Semper negās tē habēre pecūniam : equidem vērō nōn solvam prō tē. Sed mūtuum pecūniam tibi dabō, sī modo prōmittēs tē mihi redditūrum esse.

Sōcratēs. Mūtuum accipiam : nōlī irāscī.

Aristomenus. [*Caupōnam allocūtus*] Ecce, accipe nummōs : velim nōs ad cubiculum perdūcās.

Caupōna. Mēcum igitur venīte.

SCAENA SECUNDA. Cubiculum.

[*Intrant Sōcratēs, Aristomenus, Caupōna : Caupōna exit.*]

Aristomenus. Quam sordidum cubiculum. [*Ad lectulum it.*] Vestīmenta lectulī madida esse putō. [*Ea tangit.*] Deōs immortālēs ! madidissima sunt. Nōn dormiam in hōc lectulō.

Sōcratēs. Ego tamen tam fessus sum ut nīl cūrem. [*Vestēs exiit atque in lectulō iacet : post breve tempus stertere coepit.*]

Aristomenus. Fēlicem hominem ! iam stertit : crēdō eum in fluviō dormīre posse. Sed quid est hoc ? grabātulum videō : hīc iacēbō. Primum tamen forēs addūcam pessulōque affīgam, nē quis intret : grabātulus quoque post cardinēs pōnendus. Nunc dormīre possum. [*Sē somnō dat.*]

[*Ambo dormiunt : mediā nocte iānuā aperitur grabātulusque impetū prōsternitur : intrant sāgae.*]

Aristomenus. [*Ē grabātulō ēversō caput tollēns.*] Quid voltis, quae tantō impetū cubiculum intrātis ?

Sāga prīma. [*Gladium stringēns*] Tacē, sī nōn vīs trucidārī : nōlī nōbīs obstāre. [*Aristomenus prae metū tacet, et, dum sub grabātulō latet, quid eventūrum sit expectat.*]

Sāga eadem. [*Ad alteram versa*] Dēpone lūcernam, spongiamque mihi dā. Ubi est Sōcratēs ? Ecce ! videō eum in alterō lectulō iacentem. [*Ambae Sōcratem*

circumstant.] Altē dormit : tū tamen caput eius dīmovē ut gladium in iugulum dēmergam.

Sāga altera. Bene fēcistī ; ūsque ad capulum dēmer- sistī : nunc extrahe gladium ut sanguinem utriculō meō excipiam, nē stilla ūsquam videātur. Iam satis habeō : plēnus est utriculus.

Sāga p̄rīma. Sed nōlī impōnere spongiam, namque cor prius est extrahendum : sine mē dextram per volnus immittere. Ecce ! extrahō ; abeāmus igitur priusquam expergiscātur. [*Exeunt.*]

Aristomenus. [*Ē grabātulō surgēns*] Heus tū, iānitor, venī celerrimē ! sicārii adsunt quī comitem meum interfēcērunt. [*Submissā vōce.*] Quid mihi faciendum est ? Vereor nē quis putet mē ipsum interfēcisse eum, cum māne iugulātus appāruerit. Optimum vidētur fūrtim ēvādere. [*Pessulōs redūcit, iānuāque apertā, clāmat.*] Heus tū, ubi es ? Valvās stabulī absolve, ante lūcem ire volō.

Iānitor. [*Intrat sēmisomnus.*] Quid vīs ? ignōrāsne latrōnibus infestārī viās, quī hoc nocturnum iter incipis ? Alicūiusne facinoris cōnsciis morī cupīs ? Quōmodo scīre possum utrum comite tuō iugulātō fugā praesidium quaerās necne ?

Aristomenus. [*In cubiculum reversus*] Mē miserum ! nōn misericordiā commōtae mihi sāgae pepercērunt, sed crucī me reservāvērunt. Mortem mihi cōnsciscam : sed quō in locō tēlum mortiferum invenire possum ? Ecce, grabātulus restī intextus tēlum praebēbit : restī me suspendam. [*Induit laqueum.*] Heu, restis collum angit ! [*Subitō dē altō recidēns Sōcratem superruit.*] Dīs grātiās agō ! Vetus putrisque fūnis diruptus est.

Sōcratēs. [*Experrēctus*] Num tēctum mē obruit ? crēdō terrae mōtum tōtam dēmolīrī tabernam.

Aristomenus. [*Admirātiōne affectus*] Vērum dīcis, mī Sōcrates. Ego quoque ē grabātulō super tē ēiectus sum. Effugiāmus igitur priusquam ruīnis obruāmur.

[*Ambo dē cubiculō dēscendunt
tabernamque relinquunt.*]

SCAENA TERTIA. *In Itinere.*

Aristomenus. Num quid sēnsisti dum dormis, Sōcrates ?

Sōcratēs. Terrae mōtum valdē sēnsi ; cūr autem rogās ?

Aristomenus. Quia somnium mirābile percipiēbam : duae enim sāgae per somnium mihi vidēbantur cubiculum intrāre, et capite tuō dīmōtō, in iugulum gladium dēmergere. Nunc autem nūllum volnus videō, sed integrum videtur esse.

Sōcratēs. Mirābilem fābulam nārrās, namque ego quoque somnium ēiusmodi vīdī, sed mōtus terrae mē excitāvit, cōgnōvīque somnium modo fuisse. Nōlī timēre nūgās : equidem vērō—id quod multō māiōris est mōmenti—māgnopere ēsuriō, namque nūllum ēdī ientāculum.

Aristomenus. [*Cibum ē saccō prōmēns*] Ecce ! parātum tibi adest ientāculum ; optimum cāseum habeō. Iuxtā platanum istam resīdāmus. [*Sōcratēs edere coepit bonamque cāseī partem avidē dēvorat.*]

Sōcratēs. Satis ēdī ; bibere cupiō, namque sitiō.

Aristomenus. Flūmen adest : [*Sōcratem cūriōsē spectat*] sed quid rei est tibi ? maciē et pallōre affectus es ; corpus etiam dēficere vidētur !

Sōcratēs. Absurdum dīcis : satis bene valeō : sitim modo dēpellere cupiō.

Aristomenus. Igitur ad flūmen ut bibās.

[*Sōcratēs ad terram sē prōiicit extrēmisque labrīs aquam summam attigit, cum subitō in iugulō eius volnus dehīscit in profundum, et spongia repentē dēvolvitur.*]

Sōcratēs. Succurre mihi, optime ! nesciō quid acciderit : haud multum abest quīn in flūmen cadam.

[*In medium cadit flūmen.*]

Aristomenus. Nōlī timēre, auxiliō tibi adsum. [*Sōcratem ē fluviō alterō pede dētrahit.*] Deōs immortālēs ! iam mortuus est. Sāgae, ut opīnor, eum magicīs artibus interfēcērunt. Nunc autem sepeliendus est in arēnā ;

nēnia quoque dīcenda ut placidus in sepulcrō quiēscat.
[*Nēniam canit.*]

Multās per gēntēs et multa per aequora vectus
adveniō hās miserās, frāter, ad inferiās,
ut tē postrēmō dōnārem mūnere mortis
et mūtā nēquīquam adloquerer cinerem,
quandoquidem fortūna mihi tēte abstulit ipsum,
heu miser indignē frāter adempte mihi:
nunc tamen intereā haec priscō quae mōre parentum
trādita sunt tristēs mūnera ad inferiās,
accipe fraternō multum mānantia flētū,
atque in perpetuum, frāter, avē atque valē.

TRŌIA CAPTA.

SCAENA PRĪMA.

[*Ulixēs in castrīs Graecīs Sinōnī occurrit.*]

Ulixēs. Salvē, Sinōn. Tē alloquī cupiō.

Sinōn. Salvē, imperātor.

Ulixēs. Virum audācem quaerō, quī ut aliī sibi crēdant facile efficere potest. An perīculum timēs ?

Sinōn. Imminente mōrte impavidus sum.

Ulixēs. Bene. Scīs nōs hanc urbem per decem annōs obsidēre. Tanta perīcula, tantōs labōrēs nēquīquam subīmus, ut sociī fatīgātī, quippe quī sē Trōiam numquam captūrōs reantur, diūtius oppūgnāre recūsant. Calchās, quī, clāmōribus sociōrum audītis, saepe deōs precibus fatīgābat, tandem Trōiam nōn vī sed dolō capere necesse esse fātus, ut dolōs exquīrerēmus nōbīs persuāsit. Vīdistīne equum illum ligneum quem aedificant artificēs ?

Sinōn. Vīdī equidem. Saepe mēcum dēliberābam utrum imāgō ad deōs plācandōs, an bellī māchina esset.

Ulixēs. Est quasi bellī māchina, nam in hōc equō militēs armātōs inclūdēmus. Trōiānis necesse est dolīs persuādēre ut hunc equum in arcem trahant. Potesne tū hoc facere ?

Sinōn. Temptābō quantum est in mē. Quō modō autem faciendum sit omnīnō ignōrō.

Ulixēs. Hoc iamdūdum cōstituimus. Sed cōsiliū prīmum tibi expōnam. Cōsīdāmus. Animum attende. Clārā lūce in cōspectū Trōiānōrum omnia parābimus ; castrīs relictīs in nāvibus ita abībimus ut Trōiānī nōs Mycēnās petere reantur. Tenedon autem prōgrēssī noctem manēbimus, quā tēctī iterum Trōiam nāvīgābimus.

Sinōn. Intellegō.

Ulixēs. Tū autem in lītore relictus Trōiānīs occurrere dēbēs, quī verbīs dolisque persuādeās (namque potes) ut equum in urbem intrōmittant. Simulā, scīlicet, tē ā nōbīs crūdēliter dēsertum esse.

Sinōn. Hoc cūrābō, imperator.

Ulixēs. Eāmus nunc ut cum Calchante colloquāmur.
[*Exeunt.*]

[*Aulaeum tollitur.*]

SCAENA SECUNDA.

[*Pāstōrēs quattuor Trōiānī colloquuntur.*]

Pāstor primus. Tandem capellās nostrās pāscere licet, ō amīce. Sed spectā ut arva ab hostibus vastāta, ut arborēs combūstae sint.

Pāstor secundus. Etiam nunc pāscere vix possumus gregēs, āridae enim ubīque herbae. Gaudeāmus autem quod hostēs aufūgērunt.

Pāstor tertius. Placetne vōbīs castra dēserta Ulixī vīsere? Eāmus—dī immortālēs! quid videō?

Pāstor secundus. Quid vidēs?

Pāstor tertius. Graecam certē galeam; quis ille homo quī in ulvā sē cēlāre cōnātur?

Omnēs. Ubi est?

Pāstor tertius. Spectāte ad laevam. Ibi per herbās nunc serpit.

Pāstor quārtus. Vocēmus eum. Heus tū!

Omnēs. Heus! nōlī fugere!

Pāstor primus. Invalidus videtur esse. Vidēn ut titubet?

Pāstor secundus. Terrōre affectus scīlicet. Capiāmus eum ut vinctum ad rēgem dūcāmus. Spoliīs fortāsse potiēmur.

[*Ad Sinōnem māgnō clāmōre currunt; Sinōn autem surgit et appropinquat.*]

Sinōn. Salvēte, pāstōrēs. Nē laedātis mē precor; amicus sum vōbīs.

Pāstor tertius. Tūne amīcus, quī Graecam geris galeam ?

Sinōn. Graecus sum scīlicet, sed quī Graecīs inimīcus sim, Trōiānīs amīcus fiō.

Pāstor secundus. Ad rēgem dūcāmus. Vincula adferte!

Sinōn. Quid vinculis opus est ? Ultrō ibō.

Pāstor secundus. Vincula dīcō.

Pāstor quārtus. Alligātē hunc scelestum. Graecō nē fidem habeātis ; dolōsa est gēns periūrīque plēna.

[*Pāstōrēs duo Sinōnem alligant.*]

*Pāstōrēs prīmus
et secundus.* } Ecce ! Factum est.

Sinōn. Miserēre.

Pāstor secundus. Tacē. Rēgem alloquī mox licēbit, namque ad rēgem Priamum tē dūcēmus.

Pāstor prīmus. Nihil est quod ita faciāmus. Ecce rēx quī castra Ulixī visūrus appropinquat.

Pāstor tertius. Occurrendum est eī.

[*Prōgrēssī rēgī occurrunt.*]

Omnēs. Salvē, rēx optime ; tē salūtāmus.

Priamus. Salvētē pāstōrēs. Quid sibi volt hic clāmor ? Quem indignō modō ad mē trahitis ?

Omnēs. Captīvus est Graecus, rēx optime. [*Tum omnēs ita simul clāmant ut nihil audīrī possit.*]

Priamus. Tacēte, quaesō. Captīvus ipse, quis sit nōbīs dīcet. [*Sinōn dēmīssīs oculīs quiēscit.*]

Tē loquī iubeō. Nōlī timēre. Vereor nē mūtus sit.

Sinōn. Mē miserum ! quid mihi faciendum est, quī et apud Graecōs, et apud Trōiānōs invīsus sim ? Ei mihi ! Nārrābō tamen omnia vēra, nam sī miserum fortūna improba Sinōnem finxit, mendācem numquam finget.

Pāstor prīmus. Miser vidētur esse, immō vērō miserimus.

Priamus. Perge, nōlī timēre.

Sinōn. Mē Graecum esse nōn negō. Cūr enim negem ? Pater meus, quod pauper erat, mē Palamēdis in arma mīsit. Hunc Pelasgī, quia bella vetābat, verbīs dolisque Ulixī

excitātī, crūdēliter trucidāvērunt. Quō factō irātus nec vōcī neque irae pepercī. Unde mē Ulixī inimicum reddidī. Hic igitur, comitibus contrā mē excitātis, ut occāsiōnem mē interficiendī nancīscerētur in speculis semper erat. Tandem scelestus . . . Sed cūr haec nārrō? Cūr tempus terō? Iam poenās sūmite. Iam, iam mē, quod Ulixēs velit, interficere licet.

Priamus. Nōn tē laedere volumus; perge, precor.

Sinōn. Tandem scelestus ille sē opportunitātem adeptum esse crēdidit. Graecī enim Mycēnās abire voluērunt, sed tempestātēs, hiems, pontus periculōsus obstābant quīn id facerent. Apollō enim nisi sanguine plācāvissēmus ventōs nōs umquam reditūrōs negāvit. Per multōs diēs Calchās silēbat. Omnēs perterritī quiēscēbant. Tandem Calchās vōce Ulixī āctus, mē ārae dēstināvit. Proximō diē vincula rūpī, ēvāsī, per noctem in ulvā, dum Graecī in nāvibus discēderent, mē cēlāvī. Per tē deōs ōrō, per sīdera, per caelum, miserēre meī indigna ita ferentis.

Priamus. Liberāte eum, pāstōrēs. [*Pāstōrēs vincula āmovent.*] Salvē advena. Graecōrum oblivīscere; apud nōs comes eris. [*Clāmōr auditur.*] Sed clāmōrem audiō. Quid nunc accidit?

Pāstor quārtus. Hominēs equum illum ligneum fūnibus hūc trahunt.

Priamus. Quem equum nārrās?

Pāstor prīmus. Quem in lītore reliquērunt Graecī. Equus est ligneus, trabibus contextus, ingēns.

Priamus. Sed cūr hunc equum fūnibus trahunt? Cūr in lītore reliquērunt Graecī?

Pāstor prīmus. Id scīre volumus. Per longum tempus disputābant militēs quid faciendum esset. Aliī equum ūrere, in urbem trahere aliī volēbant. In urbem tandem trahere temptāvērunt, sed tantus est ut intrā mūrōs dūcere nequeant. Nunc eōs iterum in lītus dūcere crēdō.

Priamus. Dīc mihi, advena, vēra. Quid sibi volt hic equus! Quis auctor? Cūr in lītore reliquērunt?

Sinōn. Dīcam. Caelum testor, sōlem, āramque,

vittāsque sacrās quās fūgī ; fās est mihi omnia reclūdere. Nōn iam patriā teneor. Hunc equum aedificāvērunt ut scelus Ulixī, quī Palladium violāverat, expiārent. Sī vōs sacrum hunc equum violāveritis exitium erit Trōiae. Sīn autem manibus vestrīs in urbem trāxeritis, Mycēnās mox aggrēssī capiētis. Hanc igitur ob rem, nē intrā mūrōs dūcerētur tantum aedificāvērunt.

Priamus. Dūcendus est igitur in urbem ; arcessite militēs, quī moenia urbis pandeant, atque hunc equum in arcem trahant. Fēstīnāte pāstōrēs. Ipse hoc faciendum cūrābō. [*Exeunt omnēs.*]

SCAENA TERTIA.

[*Nocte Sinōn portam in equō clam aperit, ut militēs Graeci exire possint.*]

Sinōn. Ecce ! iam aperta est porta. Dēscendite, sociī. Sed imperō vōbīs nē sonitum faciātis.

Ulixēs. Macte virtūte. Bene fēcistī. Nunc paucōs nostrōrum vigilēs primum aggredi, deinde portis patefactis sociōs accipere oportet. Nōs urbem invādēmus, aedificia incendēmus, Trōiānōs vīnō somnōque oppressōs trucidābimus.

Menelāus. Ita faciēmus. Ulixēs aliōs in urbem, ad portās ego aliōs dūcam. [*Abeunt omnēs, Sinōne exceptō, Ulixēs ad dextram, Menelāus ad laevam.*]

Sinōn. In eō est ut Trōia cadat. Per decem annōs obsidēmus, omnēs aditūs temptāvimus, fortissimō quōque nostrōrum interfectis māgnō pretiō hanc urbem capimus. Crās autem ex hāc urbe nihil nisi nōmen restābit. [*Auribus arrēctis adstat.*] Sociōs meōs ad vigilēs iam vēnisse crēdō. Nihil audiō, ubique silentium. [*Clāmor auditur. Sinōn hūc illūc spectat.*] Nunc, nunc clāmor ad caelum tollitur. Aliquōs appropinquantēs audiō. [*Mox militēs Graeci clāmantes intrant.*] Quid accidit, amīcī ? Cui fortūna favet ?

Miles. Nōbīs certē : vigilēs dē imprōvisō aggrēssi facile interfēcimus. Tum agminibus iūctis hūc pervēnimus.

Miles secundus. Multōs in viā occīdimus ; aedificia multa ārdent.

Miles tertius. Audīvī equidem rēgem Priamum interfectum, domum eī incēnsam esse. Nunc spoliāre licet.

Sinōn. Spoliēmus. Urbem ego cēpī, dēstruxī. Māgnūm per saecula erit mihi nōmen.

Omnēs. Ad arcem !

[*Omnēs exeunt.*]